CHRISTVS
SIVE
DICTA & FACTA
CHRISTI:

Prout à quatuor Evangeliſtis ſparſim recitantur.

Collecta & Ordine diſpoſita
ab

HENRICO TOZER, *A. M.* & Exonienſis *Collegij in Academiâ* Oxonienſi *Socio.*

OXONIÆ,
Excudebat GUILIELMUS TURNER,
Celeberrimæ Academiæ Typographus.
Anno Dom. 1634.

GENEROSISSIMIS DOMINIS D. CAROLO HERBERT, BARONI DE *CARDYFFE*, & Fratri Suaviſſimo D. PHILIPPO HERBERT, Filijs Illuſtriſſimi *Philippi Pembrochiæ*, & *Montgomeriæ* Comitis, Religione paritèr ac Nobilitate Inſigniſsimis.

Nobiliſs. Domini.

ANte annos aliquot audire mihi contigit Magnum Gamalielem, Legis non Phariſaicæ ſed Chriſtianæ Doctorem, Ex & de Scripturis potentèr concionantem; qui de Scripturarum plenitudine abundè loquutus unum præ cæteris obſervandum innuit; quantùm ſcilicet prodeſſet in

futurum, si ex *Sacro Codice Dicta & Facta Christi* (quorum suavissima est ibidem copia) ita colligeret disponeretque aliquis, ut faciliore intuitu, majoréque jucunditate & lucro singula perpensa retinerentur. Quod cùm mecum altiùs, aliquantisper cogitâssem, & meminissem insuper quot ex *Cicerone*, *Senecâ*, *Lipsio*, alijsque hujusmodi prophanis excerpta publicantur, ac si essent (ut reverà sunt) lectu & cogitatu, in genere suo, dignissima; quantâque diligentiâ Imperatorum, Principum, Ducum, Militumque Gesta tanquam Heroica à quamplurimis in perpetuam eorundem memoriam describuntur; cùmque *Dicta & Facta* Christi talia esse noverim, quorum respectu (si ad examen revocentur) aut Sententiæ *Ciceronis*, aut *Lipsiani* Flores, aut *Senecæ* Acumina, Heroumve Conamina, euanida brevi singula sunt futura. (Quia *nunquam ita loquutus est Homo, ut Homo iste*, confitentibus Ministris. *Ioh.* 7. 46. Et *Virtutes agebant in Eo*, agnoscente Herode. *Mar.* 6. 14. unde *mirata est Turba tantas virtutes editas fuisse per manus ejus.* *Mar.* 6. 2. Nam *opera fecit quæ nemo alius fecit*, asserente Ipso. *Ioh.* 15. 24.) cùm ista, inquam, pleniùs perpendissem summo desiderio excitatus est mihi animus (rei jucunditate motus) ut aliquid in istis tentaret mea tenuitas. Ad Fontes igitur me contuli

tuli, unde rivulos educerem; Evangelia perlegi, quæ *Dictorum* & *Factorum Christi* mihi copiam suppeditarent; & quid tandem ex illorum mirandâ plenitudine pro modulo meo licuit extrahere, illud totum methodo, quâ potui, (prementes inter negotiorum angustias) optimâ disposui; quàm ex parte (præsertim in quatuor *Christi* Concionibus describendis) libentissimè acceptam fero Analysi *Piscatoris*, Theologi in Literis Sacris Versatissimi. Per totum, ut videre est, (cùm Textus Evangelicus sit fidelibus Christianis (prout decet) satis familiaris) nec Historias, nec versus ad verbum scripsi, sed partem solummodò (quantum intellexi) significantiorem, & ἐμφατικωτέραν, additâ loco Reliqui usitatâ particulâ, &c. idque feci consultò, nè (quod aliquibus fortasse incongruum videretur) Scripturas transcribendo Libellus excresceret in Volumen. Totum (quale sit) eo quidem animo (& ex animo loquor) primùm composui, ut lectioni destinarem & examini privato; ut sic & Sapientiam Potentiamque Servatoris mei *Iesu Christi*, ad jucundam consolationem legendo relegendoq; fideliùs tenerem. Tandem in publicum misi, ut medias inter rueret censuras; non quòd tale existimârim, quale absque nominis periculo strictiora sustineret Criticorum examina: non

Opus ſiquidem, ſed *Opella* eſt; aut, ſi quid minùs, quicquid Ei, quod *Nihil* dicitur, affinius. Res tamen Subjecta *Chriſtus* eſt, ſine compare, Sapientiſſimus Potentiſſimuſque Seruator; Quem ſcire vita eſt æterna, & cujus *proprium eſſe* unica eſt in hâc vitâ conſolatio. Publicavi igitur, ut ſic Doctiores, meam in re tanti ponderis intuentes, & ægrè ferentes nuditatem, opportunè provocarem ad *Dicta* hæc & *Facta Chriſti* calamo politiori ad vivum depingenda, idque in debitum *Servatoris* Honorem & *Eccleſiæ* commodum. *Vobis* demùm, *Generoſiſſimi*, & *Dignitati veſtræ* hoſce (quantilli ſint) labores devovere cupio; Primò, ut ſub *Honoris veſtri* (tanto licèt indigni) Patricinio tutiùs pertranſeant: dein, quia *Vobis* (quod verè Generoſi & Genuini pectoris eſt indicium) gratiſſimas eſſe de *Chriſto* (in quo ſolo poſitum eſt Salutis negotium) continuas Meditationes expertus noverim; quarum Neceſſitatem & Utilitatem inæſtimabilem ſub Doctiſſimo Tutamine fidelitèr didiciſtis; ita ut non immeritò geſtiant *Exonienſium* parietes ad *Splendoris veſtri* præſentiam; utpote quos imitari virtutis eſt. Nec minùs nos ipſi, qui ſumus, fortunatos noſmet exiſtimamus, quòd veſtram poſſumus *Dignitatem* ſine fuco agnoſcere. Hos inter Ego (licet minimus) Micam hanc adfero,

adfero, quam & *Vobis* gratiorem fore ſpero, quia pro tenuitate meâ *Servatorem*, quem colitis, *Chriſtum* exhibet. *Cui* tanquam fidiſſimo *Domino* & *Tutori* ſummo Vos ſimul & honorabiles Conatus veſtros ad futurum Reipub. præſidium, & Veritatis Religioniſque propugnaculum ardentiſſimis commendo precibus.

Honori Veſtro

Devotiſſimus

in Chriſto

HENRICUS TOZER.

Cognoſcitur autem Chriſtus

CHRISTI { 1. DICTA. 2. FACTA.

Cognoscere Christum, quem misit Deus, vita æterna est. Joh. 17. 3.

Cognoscitur autem Christus
- 1. Ut Deus } in Doctrinâ de { Divinitate } ejus.
- 2. Ut Homo } { Humanitate }
- 3. Ut θεάνθρωπος & Mediator inter Deum & Hominē, seu Redemptor.
  - 1. In Doctrinâ (quæ, ut etiā prior, summatim in Symbolo comprehenditur) Apostolicâ & Catholicâ de Ipsius
    - 1. Passione } quæ humiliter subjit.
    - 2. Sepulturâ }
    - 3. Descensu ad Inferos } quē, vincendo, præstitit.
    - 4. Resurrectione } quæ mirabiliter perfecit.
    - 5. Ascensione }
    - 6. Sessione ad dextrā Patris } quâ plenè fruitur.
    - 7. Reditu ad Judicium } quē gloriosè exhibebit
  - 2. In Ipsius
    - 1. Dictis } Gratiæ & vitæ plenis. Nam
      - 1. *Ad quem abibimus? vitæ æternæ verba habes* Joh. 6. 68.
      - 2. Facta ejus (præcipuè
    - 2. Factis }

puè miraculosa) *Scripta sunt ut credamus, & credentes vitam habeamus.* Io. 20. 31.

Itaque

Operæ pretium est Dicta & Facta Christi fideliter recogitare & perpendere.

Dicta Christi (prout in N. Testam. recitantur) sunt { 1. Generalia. 2. Particularia.

Generalia sunt ipsius *Conciones*, quæ vel { 1. *Catechetica.* 2. *Ad Clerum.* 3. *Prophetica.* 4. *Valedictoria.*

Concio *Catechetica*, habita in Monte ad Populum coram Discipulis, recitatur *Matth* 5. 6, 7. Quæ summatim sic se habet.

Capite quinto quatuor agit { 1. Proponit. 2. Hortatur. 3. Præfatur. 4. Exponit.

1. Proponit octo Beatitudines.

1. *Beati Pauperes Spiritu.* (1) qui agnoscunt propriam injustitiam. *ver.* 3. & Luc. 6. 20.
2. *Beati qui lugent.* (1) qui dolent propter offensum Deum. *v.* 4. & Luc. 6. 21.
3. *Beati qui esuriunt & sitiunt.* (1) qui Remissionem & justitiam studiosè quæruntur. *v.* 6. & Luc. 6. 21.
4. *Beati mites.* *v.* 5.
5. *Beati misericordes.* *v.* 7.
6. *Beati qui sunt mũdo corde.* (1) casti. *v.* 8.
7. *Beati Pacifici.* *v.* 9.
8. *Beati qui persequutionem patiuntur*, &c. *v.* 10. 11. & Luc. 6. 22.
& *Gaudete, quoniam merces vestra*, &c. *v.* 12. & Luc. 6. 23.

2. Hor-

2. Hortatur Apostolos ad Prædicationem & Bona Opera.

1. Quia sunt *Sal Terræ*. ergò debent Doctrinâ condire, ne ejiciantur ut inutiles. *v.* 13.
2. Quia sunt *Lux Mundi*. ergò Doctrinâ & vitâ lucere debent, ne fiant tenebræ. *Sic splendeat Lux vestra* &c. *v.* 14. & 16. — & *Luc.* 11. 33, 34, 35, 36.
3. Quia sunt *Urbs supra montem sita*. ergò non debent occultari. *v.* 14.

Ab istis progreditur Christus in eodem capite ad *Legem* à corruptelis Pharisæorum vindicandam. Itaque

3. Præfatur in Expositionem Legis. ubi

1. Contra calumniantes Pharisæos ostendit, se non venisse ad Legem dissolvendam, sed implendam. *Ne existimate me venisse*, &c. *v.* 17.
2. Asseverat impletionem legis semper duraturam. *Usque dum præterierit Cælum & Terra, Iota unum*, &c. *v.* 18. — & *Luc.* 16. 16.
3. Commination em in solventes Legem, & promissionem servantibus proponit. *Quisquis solverit*, &c. *minimus vocabitur*, &c. &, *Quisquis fecerit, magnus*, &c. *v.* 19.
4. Apostolos hortatur ad majorem justitiam quàm habent Pharisæi. *Nisi abundaverit vestra*, &c. *v.* 20.

4. Exponit

4. Exponit:

1. Legis Præceptum sextum. ubi
   1. Ostendit non tantùm prohiberi Homicidium, sed Iram temerariam & verba iracunda. *Audivistis dictum, non occides; Ego verò dico, quisquis irascitur, aut dixerit Raca*, &c. v. 21. 22.
   2. Monet inde ad concordiam, ut sic Cultus noster sit Deo acceptus. *Igitur si munus attuleris*, &c. v. 23, 24, 25.

2. Legis Præceptum septimum. ubi.
   1. Ostendit non prohiberi tantùm Adulterium externum, sed quamvis concupiscentiam, & etiam Dimissionem uxoris dato libello. *Dictum audivistis, non mœchaberis; Ego verò dico, quicunque aspicit mulierem* &c. Et. *Quisquis dimiserit uxorem facit ut mœchetur*, &c. v. 28. 32. & Luc. 16. 18.
   2. Hortatur inde ad concupiscentias extinguendas. *Si oculus dexter faciat ut offendas, erue eum*, &c. v. 29. 30.

3. Legis Præceptum tertium. ubi
   1. Ostendit prohiberi non tantùm Juramentum falsum per Dei nomen, sed & quodvis temerarium per Creaturas. *Audivistis dictum, non pejerabis; at Ego dico, ne jurès omninò; neque per Cælum* &c. v. 33, 34, 35.
   2. Hortatur inde ad sermonem simplicem. *Esto Sermo, Etiam Etiam, Non Non* &c. v. 37.

4. Legem Talionis de Pœnis: ubi ostendit istâ lege

lege non permitti vindictam privatam. *Audivistis dictum, Oculum pro oculo. Ego verò dico, ne resistatis Malo, sed quisquis cædit in dextram maxillam, obverte alteram* &c. v. 38. &c.

5. Legem de dilectione Proximi: Vbi ostendit nomine Proximi intelligendos inimicos æquè ac amicos, & utrosque diligendos. *Audivistis dictum, Diliges proximum & odio habebis inimicum: Ego verò dico, diligite inimicos* &c. *ut sitis filii Patris* &c. v. 43. &c. & Luc. 6. 27. &c.

Hæc Capite Quinto.

Capite sexto docet.

1. De dandâ Eleemosynâ sine ambitione. *Ne Eleemosynam detis coram hominibus,* &c. v. 1. ad 5.
2. De simplici modo precandi sine Battologiâ, suam Orationem & formulam præscribendo. *Precantes ne blaterate* &c. *Sic igitur Orate* &c. v. 5. ad 16. & Luc. 11.
3. De modo jejunandi sine ostentatione. *Cum jejunatis, ne estote ut Hypocritæ, tetrici,* &c. 3. v. 16.
4. De cavendâ Avaritiâ. *Ne Thesauros congerite,* &c. v. 19.
5. De fugiendâ invidiâ. *Lucerna Corporis est Oculus,* &c. v. 22.
6. De abjiciendâ nimiâ sollicitudine. *Ne estote solliciti* &c. *Intueamini volucres, Lilia agri,* &c. Et. *Primò quærite regnum Dei,* &c. v. 26. & Luc. 12. 22. &c.

Capite

Capite septimo monet.

1. De cavendis temerarijs judicijs. *Ne judicate, ne judicemini*, &c. Et. *Quid aspicis festucam* &c. — *v.* 1. ad 6. & *Luc.* 6. 37. &c.
2. De contemnentibus monitiones. *Ne date quod sanctum est canibus*, &c. — *v.* 6.
3. De petendis necessarijs. *Petite & dabitur* &c. — *v.* 7. ad 12.
4. De Iustitiâ generali. *Quæ volueritis ut faciant* &c. — *v.* 12.
5. De cavendis Mundi exemplis. *Introite per angustam* &c. — *v.* 13, 14. & *Luc.* 13. 24.
6. De cavendis Pseudoprophetis. *Cavete à Pseudoprophetis, à Fructibus cognoscetis* &c. — *v.* 15. ad 21. & *Luc.* 6. 43.
7. De Doctoribus Hypocritis, qui docent & non faciunt. *Non quisquis dicit, Domine* &c. — *v.* 21. ad 24.
8. De Sermonibus præstandis. *Quisquis audit Sermones meos & præstat, assimulabo eum viro qui ædificavit* &c. — *v.* 24. ad 28. & *Luc.* 6. 47.

Hactenùs Concio Catechetica.

Concio ad Clerum habita ad Apostolos de munere exercendo, continetur *Matth. cap.* 10.

In hâc Apostolos de munere

1. Jubet. *Profecti prædicate, sanate, purgate* &c. — *v.* 7, 8.
2. Dirigit. *Ne comparate Aurum, & Peram*, &c. *v.* 9, 10. (1) ut curis hujus vitæ in Ministerio suo non impediantur. Et *Dignos salutate, in indignos pulverem* &c. *v.* 12, 14. — & *Mar.* 6. 8. *Luc.* 10. 4. & *Mar.* 6. 11. *Luc.* 10, 10.

3. Munit

3. Munit contrà
- 1. Hostium insidias. *Ecce mitto vos ut oves &c. v. 16.* & *Luc. 10.3.*
  Et. *Non est Discipulus supra Dominum. v. 24.* & *Luc. 6 40. & Io. 13. 16.*
  Et. *Ne timete, nam nihil est occultum quod non manifestabitur &c. v. 26.* & *Mar. 4. 22. & Luc. 12. 2*
- 2. Magistratuum minas. *Ne timete eos qui trucidant corpus &c. V. 28.* & *Luc. 12 4. 11. 12.*

4. Hortatur ad constantiam. *Qui me confitebitur coram hominibus, confitebor Ego &c. v. 32.* & *Luc. 9. 26.*
   Et. *Qui amat Patrem supra me, & qui non tollit crucem &c. non est dignus &c. v. 37.* & *Mar. 8. 34. & Luc. 9. 23. & 14. 26.*
5. Consolatur contra Mundi contemptum. *Qui vos recipit me recipit &c. v. 40.* & *Luc. 10. 16. & Io. 13. 20.*
   Et. *Qui potum dederit vobis meo nomine &c. v. 42.* & *Mar. 9. 41.*

Concio Christi Prophetica habita privatim ad Discipulos in viâ cùm ascenderit Hierosolymam, invenitur *Matt. 20.*

In Quâ prædicit suam Passionem indicando
- 1. Locum *Hierosolymam.*
- 2. Authores *Sacerdotes, Scribas & Gentes.*
- 3. Modum viz.
  - 1. *Condemnationem.*
  - 2. *Illusionem.*
  - 3. *Flagellationem.*
  - 4. *Crucifixionem.*

  v. 17. 18. 19.
- 4. Lætum Eventum. *viz. Resurrectionem* tertio die.

Concio

Concio demùm valedictoria, habita ad Discipulos in Cænâ, & partim post Cænam, legitur *Io. cap.* 14, 15, 16. Cujus compendiaria delineatio hæc est.

Capite quarto consolatur Apostolos contrà

1. Scandalum suæ Mortis.
   Ne turbetur Cor; Creditis in Deum, credite & in me &c. *v.* 1.
   Et. *Credite me in Patre, & Patrem in me esse: qui credit in me, opera (quæ Ego) ipse faciet & majora.* (ut in conversione Gentium apparebat) *v.* 10, 11, 12.
   Nam Ego ad Patrem proficiscor. (*viz.* ut inde mittam vos Spiritum potentem)
   Et. *Si quid petieritis, faciam: si diligatis me, servate mandata: ille est qui diligit &c.* *v.* 15. 21.

2. Dolorem ob suũ Discessum. idque

   1. A causâ ejus finali; ut locũ illis paret. *Proficiscor paraturus locum; cùm paravero, assumam; ut ubi Ego sum vos sitis. Ego sum via &c.* *v.* 6.
   2. A promissione Spiritus Sancti, Consolatoris, post discessum. *Rogabo Patrem, & alium Advocatum dabit, ut maneat vobiscum &c.* *v.* 16. 17.
      Vos orbos non relinquo. *v.* 18.
   3. A spe ipsum brevi iterùm conspiciendi: *viz.* post Resurrectionem per dies 40. Et etiam á spe vitæ indesequuturæ, quâ Cor vivet virtute Spiritus. *Adhuc paululum; Mundus me non conspiciet*

conspiciet, vos conspicietis: & quia Ego vivo, vos vivetis &c. v. 19.

4. A futurâ Spiritus Sancti operatione, & communicatione pacis, quam largitus est. *Advocatus ille,* (1) Spiritus Sanctus, *docebit omnia, & in memoriam revocabit quæ dixi. Pacem relinquo, do vobis, non ut Mundus dat &c. Ne turbetur Cor &c.* v. 26. 27.

Unde concludit ipsis gaudendum esse ob Discessum, quia ad Patrem glorificaturum Ipsum profecturus est. *Si diligeretis me, gauderetis quòd dixi, Proficiscor ad Patrẽ &c.* v. 28.

Et insuper ostendit se innocentem moriturum ut glorificetur Pater. *Venit Princeps Mundi, quamvis in me nihil habeat, sed ut cognoscat Mundus* &c. v. 30. 31.

1. Hortatur ad
- 1. Constantiam in Fide (per quã Ipsi tanquã Palmites viti insiti sunt) ab effectu.
  - 1. Utili; si manserint. *Manete in me, & ego in vobis manebo; aliter fructum non potestis ferre: seorsim à me nihil potestis.* v. 4. 5.
  - Et. *Si manseritis, quicquid petieritis fiet.* v. 7.
- 2. Inutili; si non permanserint. *Omnẽ palmitem in me non ferentem fructũ Pater tollit; qui abjectus extrà vineã arescit, & in ignem conjicitur.* v. 2. 6.

2. Bona Opera.
- 1. In Genere; à fine & utili effectu. *In hoc glorificatus est Pater*, ut *feratis fructum.* Et. *Si mandata mea servaveritis manebitis in meâ dilectione, &c.* v. 8. 10. 11.
- 2. In specie. scil. Mutuam Dilectionem, idque à suo Exemplo. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis, sicut ego dilexi vos: majorem dilectionem nemo habet, quàm ut animam &c.* v. 12. a 18.

2. Consolatur contrà Persecutiones

2. Ab odij istius causâ, quæ
- 1. Ab exemplo suo. *Si Mundus odit vos, me priùs odit, &c.* v. 18. 2
  - 1. Ipsorum Electio. *Si ex Mundo essetis, Mundus suũ amaret; quia non estis, odit.* v. 19.
  - 2. Odium nominis Christi. *Hoc facient propter nomen meum:* idque ex malitiâ. *Si non venissem & loquutus essem, peccatum non haberent.* ((1)possent ignorãtiâ excusari) *nunc verò non habent quod prætexant.* v. 21, 24.
- 3. A Prædictione. *Hoc faciunt, ut impleatur Sermo. Oderunt me immeritò.* v. 25.

Capite decimosexto.

Capite

Capite decimosexto.

- 1. Prædicit ipsis mala eventura
  - 1. Excommunicationem. *Movebunt vos Synagogis &c.* *v.* 2.
  - 2. Supplicium capitis. *Veniet tempus quum quisquis trucidat vos, putabit se cultum præstare Deo. Hæc dixi ne offendamini &c.* *v.* 1.4.
- 2. Consolatur contrà Discessum
  - 1. Promittendo Spiritum. *Confert ut abeam, alitèr Advocatus non veniet.* *v.* 7.
  - 2. Ostendendo *Spiritus* utilitates: quæ
    - 1. Redargutio; quod Mundum arguet (1) Judæos cõvincet. *v.* 8.9.10.11. de
      - 1. *Peccato*; quòd non crediderint in Christum: ut ita agnoscant se ideò peccâsse.
      - 2. *Justitia*: scilicet, *Christi*: ut agnoscant eum fuisse justum.
      - 3. *Judicio.* (1) *Christum* constitutũ esse omnium Judicem.

      Hæc impleta sunt factâ Concione *Petri Act.* 2.
    - 2. Instructio. *Quùm venerit Spiritus, introducet in omnem veritatem &c.* *v.* 13,14.
- 3. Prædicit
  - 1. Suam Mortem. *Paulisper & non conspicietis. Vos flebitis; Mundus verô gaudebit &c.* *v.* 16.20.
  - 2. Resurrectionem & sequentia. *Rursus conspicietis.* Et. *Tum tristitia vestra in gaudium vertetur, & Gaudium vestrum nemo tollet &c.* *v.* 16.20. 22.24.
  - 3. Ipsorum fugam ab ipso; & etiam futuras consolationes contra Afflictiones

ones: *Veniet tempus quum dispergemini unusquisque, meq; relinquetis. Hæc loquutus sum, ut pacem habeatis. In Mundo Afflictionem habebitis: sed confidite, Ego vici Mundum.* v.32,33.

Hucusque Dicta Christi Generalia, sive Conciones. Sequuntur

Ipsius Sermones Particulares, qui vel { Ante } Resurrectionem / { Post } ejus.

Sermones Christi ante Resurrectionem erant, vel ad { 1. *Deum Patrem.* / 2. *Homines.*

Sermones ad *Deum* erant vel { 1. Precantes. / 2. Deprecantes. / 3. Gratiarum activi.

Sermones Precantes erant Alij respectu { 1. Sui ipsius ut Pater { 1. Daret ipsi vires ad vincendam Mortem. *Glorifica nomen tuum.* Io.12.28
2. Ipsum glorificaret (1) per Resurrectionem, Ascensionem, Sessionem ad Dextram & Reditum ad Judicium: quibus Humana Natura *Ejus* Autoritate donata est, & Divina patefacta. *Pater glorifica Filium tuum.* Io.17.1.

2. Aliorum *viz.* { 1. Apostolorū ut eos { 1. Servet à Diabolo. *Non pro Mundo rogo, sed pro eis quos dedisti mihi; Pater serva eos à Malo illo &c.* Io.17.9. 11.
2. Sanctificet. *Sanctifica eos veritate* (1) verbo: sive, Spiritus Sancti donis instrue ad munus

munus Evangelij constantèr prædicandi. *Io.17.17.*

2. Reliquorum Electorum: ut
   1. Sint unum in Deo. *Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, & ego in te, &. ipsi in nobis unum sint.* (1) ut per fidem devincti amore se complectantur. *Io.17.21*
   2. Suo tempore transferantur in Cœlum: ibique conspectu Gloriæ Christi in æternum beati sint. *Quos dedisti mihi velim ut ubi Ego sum, & illi sint mecum, ut conspiciant Gloriam meam* &c. *Io.17.24*

Sermones deprecantes erant etiam alii respectu
   1. Sui. *Pater mi, si possibile sit, abeat à me Poculum hoc; verùm non ut ego volo,* &c. *Mat.26. 39. 42. Mar.14. 36. Luc. 22. 42.*
   Et *Libera me ab hac hora.* &c. *Io.12.27*
   Huc spectat ista Querimonia. *Eli Eli Lamasabacthani.* *Mat. 27 46. Mar. 15. 34.*
   2. Aliorum, *Pater, remitte eis; nesciunt enim quid faciunt.* *Luc. 23. 34.*

Sermones Gratiarum activi erant similitèr, alii respectu
   1. Aliorum; quòd *Sui* cognitionem simplicibus revelaverit. *Celebrabo te quòd hæc Infantibus revelasti,* &c. *Mat. 11. 25. Luc. 10. 21.*
   2. Et Sui & Aliorum simul. viz. quòd ipsum audiêrit in excitando Lazaro, *Pater, gratias tibi ago, quòd me exaudieris: Ego verò sciebam me semper à te audiri, sed propter turbam*

turbam circumstantem hæc dixi, ut credant me a te missum. Jo. 11. 41. 42.

Hactenus sermones ad Deum.

Sermones Christi ad homines erant alii
- 1. Perspicui & aperti.
- 2. Parabolici & absconditi, sive obscuri & ænigmatici.

Sermones Aperti erant alii ad
- 1. Solos Discipulos.
- 2. Alios: viz. Scribas, Pharisæos, Turbam, &c.
- 3. Utrosque simul.

Sermones ad solos Discipulos erant ad Discipulos vel
- 1. Nominatos
  - 1. Plures conjunctim
    - 1. Omnes simul.
    - 2. Aliquot.
  - 2. Singulos separatim
    - 1. Duodecim Apostolos.
    - 2. Alios.
- 2. Non Nominatos.

Sermones ad Discipulos, omnes simul, dividuntur, prout respiciunt vel
- *Personas.*
- *Res.*

Sermones respicientes *Personas* erant vel de
- 1. Seipso.
- 2. Aliis.

De seipso, viz. de
- 1. *Sui* æstimatione apud homines.
- 2. *Sui, Nominisq;* sui glorificatione.

De *Sui* æstimatione apud homines allocutus est Discipulos in partibus *Cæsareæ*. *Quem me dicunt Homines esse?* Et *Ne dicite me ipsum esse Jesum, Illum Christum*, &c. *Mat.* 16. 13. 20. *Mar.* 8. 28. *Luc.* 9. 18.

- 1. Ipsos dirigendo de *Nomine* suo glorificando per prædicationem Euangelii; de Mortis suæ utilitate; & quanti debemus eam facere. *Venit*

De *Sui* glorificatione Discipulos alloquutus est,

nit tempus quo Filius Hominis glorificetur. Et *Qui amat vitam, perdet; qui odit, custodiet*, &c. Jo. 12. 23. 25. 26.

Et *Si quis mihi ministraverit, honorabit eum Pater*, &c.

Et de voce auditâ è Cœlis. *Non propter me sed vos* (1. ut vos in me credatis) hæc vox *exstitit: Nunc damnatio est hujus mundi: nunc princeps mundi ejicitur*, &c. Jo. 12. 30. 31.

2 Seipsum consolando ex consideratione Gloriæ conjunctæ cũ morte suâ, eámque sequuturæ: *Nunc glorificatus est Filius Hominis & Deus in eo*, &c. Jo. 13. 31

Sermones Christi de aliis erant vel

1. *Miserantes*: ut de Turba cibis carente. *Commoveor misericordiâ ergà Turbam, quia jam triduum permanent apud me, & non habent quo vescantur; & dimittere jejunos nolo*, &c. Mat. 15. 32. Mar. 8. 2.

2. *Explorantes*, ut de Muliere fluxione sanguinis laborante & fimbriam pallii tangente. *Quis est qui me tetigit? tetigit me aliquis; nam cognovi virtutem à me exiisse.* Luc. 8. 46.

Quo sermone (quasi explorando) movit mulierem ad sui Sanationem narrandam; sicut fecit Illa. v. 47.

3 *Detegentes*: ut de Proditore indicando. *Vnus è vobis me prodet*, &c. Et *qui mecum intingit manum*, &c. Et *qui mecum edit sustulit adversus me calcem: jam nunc dico, ut credatis, cùm factum fuerit, me Eum esse.* Mat. 26 21. &c. Mar. 14. 18. &c. Luc. 22. 21. &c. Jo. 13. 18

(Quam descriptionem generalem esse & non certæ alicujus personæ constat ex sequente Judæ interrogatione, *Num is ego sum?* *Mat.* 26. 25. Particulatiùs verò describitur Johanni, ut postea constabit.)

4 Approbantes & laudantes ut

1. De Mariâ ungente caput ejus.
   Opus bonum operata est: semper pauperes vobiscum habebitis, me verò non semper; ad funerandum me fecit. Et *ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium*, &c. — *Mat.* 26. 10. &c. *Mar.* 14. 6. &c. *Jo.* 12. 7. 8.
2. De vidua liberali. *Vidua hæc injecit plus quàm omnes Illi. Illi enim ex abundantia, Hæc verò è penuria.* — *Mar.* 12. 43. 44. *Luc.* 21. 3.

Hactenus Sermones Christi de *Personis*: sequntur de *Rebus*.

Qui de *Rebus*
1. Presentibus. — *Mat.* 8. 26.
2. Futuris. — *Mar.* 4. 40.

Sermones de Rebus presentibus erant vel
1. *Increpantes.* — *Mat.* 17. 20.
2. *Instituentes.* — *Mar.* 9. 19.
3. *Monentes.* — *Luc.* 9. 41.
4. *Consolantes.* — 17. 9.

Increpando alloquutus est Discipulos:

1. Ob incredulitatem
1. In timendo naufragio. *Quid timidi estis, ô exiguâ fide?* &c. — *Mat.* 21. 21.
2. In sanando Lunatico. *O gens incredula!* &c. Et *propter incredulitatem vestram non potestis: etenim si fidem habeatis*, &c. — *Mar.* 11. 22.
Similiter de fide loquutus est, cum mirati sunt Discipuli ficum exaruisse.

2. Ob

2. Ob duritiem in parvulos, cùm ipsos impedirent, ne ad Christum adducerentur. *Sinite parvulos ad me venire, nam talium.* &c. *Mat.* 19. 14. *Mar.* 10. 14.

3. Ob deficientiam, cùm ab ipso pedem retulerint: *Num & Vos vultis abire?* Et *Nonne ego vos duodecim elegi* (*i.* ad Apostolatum) *& tamen unus* (viz. Judas) *est Diabolus?* i. respectu vitæ æternæ. *Luc.* 18. 15.16.17 *Jo.* 6.67. 70.

Hactenus Sermones *Increpantes*; sequuntur *Instituentes.*

Instituit Christus Discipulos de *Rebus*
1. Purè sacris.
2. Ex parte Politicis, seu civilibus. *Mat.* 13. 11. 16.

Sermones *Instituentes* de Rebus Sacris erant, ut sequitur. *Mar.* 4. 11. 12.

1. De Doctrinæ suæ
1. In Parabolis traditæ rectâ intelligentiâ: *Vobis datum est nosse mysteria*, &c. Et, *Beati sunt oculi vestri*, &c. *Luc.* 10. 23.
2. Sedulâ custoditione & oportunâ communicatione. *Quâ mensura metimini, alii vobis metientur, & adjicietur vobis; Qui enim habet, dabitur ei*, &c. *Mat.* 7.2 13.12. *Mar.* 4. 24.25.
3 Recto usu: *Nemo, cùm lucernam accenderit, operit eam vase*, &c. Et, *Non est quicquam occultum, quod non fiet manifestum.* *Luc.* 8.17 *Mat.* 5. 15. *Luc.* 8. 16.

2. De Cænæ suæ
1. Primâ institutione: *Accipite, comedite, bibite*, &c. *Mat.* 26. 27. &c.
2. Sequenti continuatione. (Murmurantibus Discipulis ob duram ejus, ut videbatur, doctrinam de carne sua comedendâ) *Quid si spectaveritis Filium eò ascendentem ubi prius erat?* (i.) quantò magis tum offenderemini hâc doctrinâ de *Mar.* 14. 22. &c. *Luc.* 22. 17. &c. *Jo.* 6.62. 63.

de carne mea commedenda, quæ tamen tunc erat in cœlis?) *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest.*

3. De Precum exauditione. *Quis vestrûm si habeat amicum, & is proficiscatur ad ipsum mediâ nocte? etiamsi non dederit ei quòd amicus sit, tamen propter importunitatem dabit,* &c. *Luc.* 11. 6. &c.

4. De operum Meritis, exemplo servi facientis quod debuit. *Ita & vos, cùm feceritis omnia quæ vobis præcepta sunt, dicite* &c. *Luc.* 17. 7. &c.

5. De vero gaudio. *Ne gaudete quòd Spiritus vobis subjiciantur, sed quòd nomina Vestra scripta sunt* &c. *Luc.* 10. 20.

6. De Cibo suo & plenâ messe Discipulorum. *Ego cibum habeo, quem vos nescitis: Esca mea est exequi voluntatem ejus qui misit me* &c. *Io.* 4. 32 ad 39.

Et. *Nonne vos dicitis, adhuc Quadrimestre superest, & Messis erit? dico, attollite oculos, jam albæ sunt Regiones ad Messem: qui metit, mercedem accipit; alius est qui metit, alius qui seminat: Ego misi vos ad metendum, in quo vos non laborastis,* &c.

Sermones *Instituentes* de *Rebus* ex parte Politicis erant,

1. De opportunâ requie post labores.
Venite vos privatim in locum desertum & requiescite paululùm. *Mar.* 31.

2. De tutâ ambulatione. (1) cùm Discipuli dehortarentur ne in Judæam iret ad Lazarum excitandum ob Judæorum malitiam.)
Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulet interdiu non impinget, quia lucem hujus Mundi videt, &c. *Io.* 11

3. De

De reliquiis panum & piscium colligendis.

Colligite fragmenta ne quid pereat. (unde monemur reliquias ciborum diligentèr ad futuram necessitatem asservandas, & non prodigè projiciendas.) *Io.6.12.*

De Divortio. *Mat.19. 9. Mar.*

Qui dimiserit uxorem mœchatur, &c. 10, 11.

Et. de Conjugij Necessitate (dicentibus non convenire uxorem ducere) *Non omnes capiunt hunc Sermonem, sed quibus datum est.* *Luc.16. 18. Mat.19. 11.*

Quàm difficile est confidentibus opibus suis, &c. *Facilius est Camelum* &c. Et. *Apud homines hoc est impossibile, non apud Deum*: (1) impossibile est Divitem suis viribus servari; possibile verò viribus Dei; si dederit ipsi Deus gratiam ut soli Deo, non divitijs, confidat; Divitiis autem utatur ad Dei gloriam & Proximi utilitatem. *Mat.19. 24. Mar. 10. 23. Luc. 18. 24.*

Hactenus Sermones *Instituentes*, sequuntur *Monentes*,

Hi de Rebus
1. *Fugiendis.*
2. *Ferendis.*
3. *Faciendis.*

Fugienda monet

1. Fermentum Pharisæorum. (1) doctrinam; *Cavete à Fermento Pharisæorum*, &c. Et (cautionem hanc non rectè capientibus Discipulis) *quid disceptatis, quòd panes non sumpsistis? non meministis quinque panes* &c. *quomodo ergò hoc non intelligitis: viz.* me loqui non de fermento panis sed doctrinâ. *Mat.16. 6. Mar. 8. 15. Luc.12.1*

2. Scandala. *Quisquis offendiculo fuerit alicui ex parvulis istis*, &c. Et. *Videte ne contemnatis* &c. Et. *Si fuerint homini centum oves*, *Mat.18 6, 7, 8.*

oves &c. *Ita non vult Pater ut pereat unus* &c. Et. *Væ illi per quem eveniunt Scandala*, &c. — *Mar.* 9. 42. *Luc* 17. 1, 2.

3. Ambitionem & Dominium. *Scitis Principes Gentium in eas dominari*, &c. *Verum non ita erit inter vos*, &c. — *Mat.* 20. 25. *Mar* 10. 42.

4. Impura. *Quæ prodeunt ex ore, ex ipso corde egrediuntur; & illa communem reddunt hominem: nam ex corde egrediuntur cogitationes malæ, cædes* &c. — *Luc.* 22. 24. *Mat.* 15. 17.

Ferendam monet Crucem. (1) Persecutiones, Ignominias, &c. *Si quis vult ponè me venire* (id est, meus esse Discipulus) *abneget seipsum* (id est, naturales affectus) *& tollat Crucem.* — *Mar.* 7. 18.

Inter *Facienda* monet Christus Discipulos de

1. Precibus habendis
   1. Contra Tentationes. *Precamini ne intretis in tentationẽ* &c. — *Mat.* 16. 24. *Luc.* 9. 23.
   2. Ad augendum numerum operariorum. *Messis multa est; rogate Dominum, ut extrudat operarios in messem.* &c. — *Mat.* 26. 41. *Mat.* 9. 38. *Luc* 10. 2.

2. Vigilantia. *Vigilate & orate* &c. Et. *Sint Lumbi vestri præcincti* &c. *Similes estote eis qui expectant dominum suum: Beati quos invenerit Dominus vigilantes: Parati estote; quia quâ horâ non expectatis, Filius hominis veniet*, &c. — *Mat.* 24. 41. *Luc.* 12. 36.

3. Fideli administratione Evangelij. *Quisnam est fidus dispensator*, &c. *beatus, quem Dominus, quum venerit, inveniet sic facientem*, &c. *quòd si dixerit servus, tardat Dominus adventum suum* &c. Et. *Qui voluntatem Domini novit & non facit, multis cædetur* &c. — *Luc.* 12. 42.

4. Integritate in Affectibus resistendis. *Si manus*

manus vel pes offendiculo fuerit, excinde, abjice &c. *Mat.*18. 8. *Mar.* 9. 43.

5. Amicâ offendentis tractatione. *Si peccaverit in te frater, argue eum inter te & ipsum; si non audierit, accipe tecum unum vel duos* &c. *Si nec ipsos, dic Ecclesiæ,* &c. *Et* (ratam faciendo excommunicationem, si eousque deventum fuerit) *si duo è vobis consenserint, de quocunq; petierint, fiet* &c. *Mat.*18. 15. *Luc.* 17. 3, 4.

6. Debitâ Humilitate. *Si quis vult primus esse, erit ultimus; &, qui minimus est, erit magnus.* Et. *Nisi fiatis ut pueruli* &c. *Mat.*18. 3. *Mar.* 9. 33.

7. Fraterno Amore & Charitate. *Vos me vocatis, Præceptor ac Domine; & rectè dicitis. Itaque si Ego lavi pedes vestros, vos quoq; debetis* &c. *Exemplum enim præbui vobis* &c. Et. *Servus non est major Domino.* Et. *Filioli, adhuc paulisper vobiscum sum: quæritis me, at quò vado non potestis venire: mandatum novum* do Vobis, ut diligatis; ex hoc omnes cognoscent vos esse meos Discipulos* &c. *Luc.* 9. 47. *Io.*13. 13. *Io.* 13. 33, &c.

(* Novum. i. summo studio observandum, ac si novum esset.)

Consolatur tandem *Christus* Discipulos contrà terrorem ex opinione Spectri, cum ipsum viderent super Mare ambulantem. *Confidite, Ego sum* &c. *Mat.*14. 27. *Mar.* 6. 50.

Sermones Christi de rebus futuris erant Prophetici.

In quibus prædixit { *Adventum.* *Passionem.* *Persecutiones.*

Ad-

Adventum. scil.

1. Sui ipsius idque.

1. Per missionem Spiritus Sancti in die Pentecostes.

Sunt quidam, qui hîc adstant, qui non gustabunt mortem usque dum viderint Filium Hominis venientem in Regno suo. *Mat.* 16. 28. *Mar.* 9. 1. *Luc.* 9. 27.

2. Ad Judicium. *Futurum est ut Filius Hominis veniat in Gloriâ Patris cum Angelis suis, & tunc reddet unicuiq; secundũ facta ejus.* *Mat.* 16. 27.

2. Regni Dei. scil.

1. Gratiæ in hoc Mundo in cordibus Electorum per occultam operationem Spiritus Sancti.

Non veniet Regnum Dei ita ut observari possit; neque dicet, Ecce hìc aut illic, nam in medio vestri est. *Luc.* 17. 20. 21.

2 Gloriæ à fine Mundi.

Veniet tempus, cũ desiderabitis videre vel unũ ex diebus Filii Hominis, & non videbitis: dicent vobis, Ecce hìc &c. *ne abite: nam sicut fulgur coruscans* &c. *ita erit Filius Hominis* &c. Et. *Sicut factum est in diebus Noæ* &c. Et. *In illo die qui fuerit supra tectum* &c. Et. *Duo erunt in lecto, duæ molentes, duo in agro unus assumetur* &c. *Luc.* 17. 22. ad 31. *Mat.* 24. 22. *Mar.* 13. 31. *Luc.* 9. 22. 24.

1. Indefinitè, idq; bis

1. In Galilæa. *Futurum est, ut Filius Hominis tradatur in manus Hominum, & trucidabunt eum.* &c.

2. In via ad Hierosolymam.

2. *Passionem* suam, & hìc
1. Passionem ipsam, idq;
mam. *Filius hominis tradetur primariis Sacerdotibus, & condemnabunt*, &c. *Mat.* 20. 18. *Mar.* 10. 32.
2. Determinatè, assignando ipsam diem. *Scitis post biduum Pascha fore; tum Filius tradetur ut crucifigatur.* *Luc.* 18. 31. *Mat.* 26. 2.
2 Passionis.
1 Malum antecedens, viz. Fugam Discipulorum. *Omnes vos istâ nocte in me offendemini; scriptum est enim, percutiam Pastorem.* &c. *Mat.* 26. 31. *Mar.* 14. 27.
2 Excidium subsequens, viz. destructionem Templi (Discipulis ostendentibus ædificia Templi pulchra.) *Nonne videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hîc lapis*, &c. *Mat.* 24 2. *Mar.* 13. 1. 2. *Luc.* 21. 5.

3 *Persecutiones* ipsis obortiuras ob Euangelium. *Ignem veni missurus in terram*, &c. *Putatis me venisse ut pacem dem? non, imo dissidium; Pater adversus Filium*, &c. *Luc.* 12. 49.

Et *Nunc, qui crumenam habet, sumat eam; & qui non habet gladium, vendat pallium*, &c. *dico enim vobis, oportere in me perfici Scriptum illud.* viz. Et cum sceleratis numeratus est. *Luc.* 22. 35.

Hucusque Sermones Christi ad Discipulos omnes simul. Sequuntur ejusdem sermones ad eorum aliquot; & tales

facti erant vel ad
1. Duos tantùm. viz.
1. *Petrum & Johannem.*
2. *Jacobum & Johannem.*
2. Tres

2. Tres. *viz.* { 1. *Petrum.* 2. *Jacobum.* 3. *Johannem.*

3. Quatuor. *viz.* { 1. *Petrum.* 2. *Andream.* 3. *Jacobum.* 4. *Johannem.*

Petrum & *Johannem* alloquutus est *Christus* ad præparationem edendi Paschatis.

Abite in urbem ad quendam, & dicite ei, Præceptor dicit, Tempus meum propè est, apud te faciam Pascha meum cum Discipulis. *Mat.* 26 18. *Mar.* 14. 13. *Luc.* 22. 8.

Jacobum & Johannem alloquutus est reprehendendo ipsos, quòd

1. Ipsi (cum Matre) peterent sessionem ad dextram & sinistram. *Nescitis quid petitis: potestis bibere poculum* &c. *bibetis quidem* &c. *sedere autem ad dextram non meum est dare*, &c. *Mat.* 20. 22. *Mar.* 10. 35.

2. Rogarent ut sibi daretur potestas perdendi Samaritanos igne cœlesti. *Nescitis qualis Spiritus vos sitis; Filius enim Hominis non venit ut perderet*, &c. *Luc.* 9. 56.

Petrum, Iacobum & Iohannem alloquutus est.

1. Erigendo procidentes & timentes ob vocem è nube. *Surgite, ne timete*, &c. *Mat.* 17. 7.

2. Monendo ne visionem patefaciant. *Nemini dixeritis hanc visionem usque dum Filius Hominis à mortuis resurgat*, &c. *Mat.* 17. 9. *Mar.* 9. 9.

3. Respondendo de Adventu Eliæ. *Elias quidem veniet; sed & dico Eliam jam venisse; verùm non agnouerunt eum, sed fecerunt quæcunque voluerunt;* *Mat.* 17. 11. 12. *Mar.* 9. 12.

ita

ita futurum est, ut Filius Hominis patiatur ab eis.

4 Queritando de tristitiâ suâ. *Tristis est anima mea ad mortem.* — *Mat.* 26 38.

5 Reprehendendo ob Securitatem. *Non potuistis unam horam vigilare? vigilate & orate* &c. Et ulteriùs quasi cum indignatione objurgando. *Dormite quod supereſt, & requiescite, ecce appropinquat hora* &c. — *Mar.* 14 34. *Mat.* 26, 45. *Mar.* 14. 41.

1 Dirigendo: *Sequimini me & faciam vos Piscatores hominum.* Et. *Eamus ad contigua oppida, ut & illic prædicem, ad hoc enim missus sum.* — *Mat.* 4 19. *Mar.* 1. 16. *Mar.* 1 38.

2 Exhortando ad vigilantiam. *Vigilate, quia nescitis quâ horâ* &c. *illud autem scitote, si Paterfamilias sciret* &c. — *Mat.* 24 22. *Mar.* 13. 33.

3 Prædicendo ultimi Judicij

1 Signa. *Multi venient dicentes,* Ego sum Christus, &c. Et. *Futurum est ut audiatis bella, tumultus,* &c. Et. *Tradet vos in afflictionem* &c. Et. *Prædicabitur Evangelium in toto Orbe* &c. Et. *Væ ferentibus & lactantibus* &c. Et. *Statim post afflictionem dierum illorum sol obscurabitur* &c. Et. *A ficu discite Parabolam, cùm jam tener sit ramus cognoscite æstatem prope esse, ita cum videritis hæc omnia* &c. — *Mat.* 24 3. ad 29. *Mar.* 13. 3. ad 24. *Mat.* 24. 29. ad 42. *Mar.* 13. 24. ad 33.

2 Formam. *Cum venerit Filius Hominis in Gloriâ suâ, &c. tum dicet eis qui ad dextram sunt, Venite Benedicti; Esurivi & dedistis, &c. eis verò, qui ad sinistram, abite maledicti, Esurivi & non dedistis &c.* Mat. 25. 31. ad finem.

Hucusque Sermones ad Discipulos plures conjunctim; sequuntur ejusdem Sermones ad singulos separatim; & primò ad Apostolos suo Ordine, ut sequitur.

1 Ad *Simonem Petrum.*

Petrum alloquutus est Christus.

1 Reprehendendo, ob

1 Ὀλιγοπιστίαν, cum cæpisset demergi. *O exiguâ fide prædite, quare dubitasti?* Mat. 14. 31.

2 Intempestivam dissuasionem Christi à profectione Hierosolymam. *Abscede à me Satana, scandalo es mihi, quia non sapis quæ sunt Dei sed Hominum &c.* Mat. 16. 23. Mar. 8. 33.

3 Abscissionem auriculæ Malchi. *Repone gladium in locum suum, &c. annon bibam quod dedit mihi Pater, &c.* Mat. 26. 52. Jo. 18.

2 Confirmando ipsũ de

1 Rectâ fidei confessione. *Beatus es Simon, &c. Caro & sanguis hæc non retexit tibi: sed & Ego dico tibi, Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c.* Et. *Tu vocaberis Cephas, i. Petra; Et tibi dabo claves, &c.* Mat. 16. 17. & Jo. 1. 42.

2 Fu-

2 Futuro successu prospero.
Provehito in altum retia ad capturam; Et, *ne metue ab hoc tempore capies homines.* *Luc.* 5. 4. 10.

3 Satisfaciendo de Præmiis Christum sequentium. (cum Petrus nomine reliquorum ipsum interrogaret) *Vos, qui secuti estis me in Regeneratione, cùm sederit Filius Throno suo glorioso, sedebitis super Thronos*, &c. Et. *Quisquis reliquerit domos* &c. *recipiet domos* &c. *cum persecutionibus.* Et. *recipiet multiplicia in hoc sæculo, & in futuro vitam æternam.* *Mat.* 19. 28. *Mar.* 10. 30. *Luc.* 18. 28. 22. 28.

4 Præveniendo, de solvendo Tributo.
Simon, Reges Terræ à quibus accipiunt Tributum? &c. Et. *Ne offendiculum præbeamus, jace hamum* &c. *Mat.* 27. 25.

5 Dirigendo de

1 Regeneratione (lotione) per sanguinem Christi.
Nisi lavero te, (id est, sanguine meo) *nihil habebis mecum commune.* Et. *Ei, qui lotus est, non opus est nisi ut pedes lavet, sed est purus totus.* (1) Qui à peccatis lotus est sanguine meo, non opus habet nisi ut lavet quotidiana peccata, quæ ex infirmitate commiserit, dolendo, petendo, &c. *Jo.* 13. 8. 10.

2 Regenerationis qui-

1 Facilitate in condonandis injuriis.
Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies, &c. Et. *Simile est Regnum Cælorum conferenti* *Mat.* 18. 22. &c.

buſdam fructibus. viz. { *ferenti rationẽ cum ſervis, & oblatus eſt quidam debens* 10000 *Talenta* &c.

2 Conſolandi officio.
Simon, Simon, Satanas expetiit &c. *Ego verò rogavi* &c. *Tu ergò converſus confirma Fratres.* Luc. 22. 31.

6 Prædicendo ipſi.
1 Abnegationem Chriſti.
Amen dico tibi iſtâ nocte, antequam Gallus canat, tèr me negabis, &c. Mat. 26. 34. Mar. 14. 30.

2 Martyrium ejus ſequuturum poſt Chriſti Aſcenſionem.
Quò abeo non potes nunc ſequi, poſtea verò ſequêris. Luc. 22. 33. Jo. 13. 38. Jo. 13. 36.

2 Ad *Johannem.*

Johannem alloquutus eſt.
1 Reſpondendo de Dœmonia ejiciente, quem Diſcipuli prohibuerant.
Ne prohibete, nullus eſt qui edit virtutem per nomen meum & poſſit citò maledicere mihi. Et, *Qui non eſt adverſus nos pro nobis eſt.* Mar. 9. 39. Luc. 9. 49.

2 Indicando ſive detegendo. viz: particulatim Judam.
Is eſt, cui intinctam offulam dedero. Jo. 13. 26.

3 Commendando, viz: Mariam Johanni (ſicut etiam Johannem Mariæ) *Mater* (viz: Maria) *ecce filius tuus.* (viz: Johannes, quem tibi commendo ut Filium. Et, *Johannes Ecce mater tua.* (viz: Maria) quam tibi commendo ut Matrem. Jo. 19. 27.

3 Ad

3 Ad *Philippum.*

Ad *Philippum* loquutus est Christus ipsum objurgando ob ruditatem in cognoscendo patre, cum diceret, *Ostende patrem & sufficit.*

Tantum temporis vobiscum sum & non nosti me? qui videt me, vidit Patrem, qnomodo ergò dicis, Ostende Patrem? *Io.* 14. 9, 10.

4 Ad *Thomam.*

Thomam alloquutus est dirigendo ipsum & instruendo de vera via ad vitam.

Ego sum via illa (scil. in Cœlum) *& veritas,* (scil. Messias in quo omnia verè sunt completa) *& vita* (vitæ: scil. Author & Dator) *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* *Jo.* 14. 6.

5 Ad *Matthæum.*

Matthæum alloquutus est sermone ipsum miraculosè convertente. viz:

Sequere me. *Mat.* 9 9 *Mar.* 2. 14. *Luc.* 5. 29.

6 Ad *Judam Iscariotam.*

Judam alloquutus est

1 Respondendo de Proditione (cum interrogaret Judas an ipse is esset, qui proditurus erat)

Tu dixisti, &c. *Mat.* 26. 25.

2 Reprehendendo, cum Mariam conabatur impedire ab unctione pedum Christi.

Sine eam; in diem funerationis meæ servavit istud, &c. *Jo.* 12. 7.

3 Exprobrando ipsi perfidiam.

Amice, quorsum ades? osculo prodis? quod facis, fac citò. *Mat.* 26. 50. *Luc.* 22. 48. *Io.* 13. 27

Præter hos sermones ad Apostolos, alloquutus est etiam Christus nominatim *Nathanielem.* Sic *Priusquam te Philippus vocaret, cum esses subter fi-*

cu, videbam te. Et, *Quia dixi tibi, vidite subter ficu, credis? majora istis videbis.* Et, *Ab hoc tempore videbitis cœlum apertum & Angelos Dei ascendentes*, &c. (i. e. Me videbitis opera miraculosa edentem virtute divinâ, ministrantibus mihi Angelis.) *Io.* 1. 48. &c.

Hactenus Sermones Christi ad discipulos nominatos; sequuntur ejusdem Sermones ad Discipulos non-nominatos.

Quales erant vel
- 1 Reprehensorii, viz: ad
  - 1 *Discipulum* quendam volentem Christum relinquere, ut patrem sepeliret. *Mat.* 8. 21. 22. *Luc.* 9. 60.
    Sequere me, & sine ut mortui (viz: spiritualitèr) *sepeliant mortuos.* (viz: corporalitèr.)
  - 2 Quendam volentem priùs valedicere Domesticis, quàm ipsum sequi. *Luc.* 9. 62.
    Nemo, qui manu amotâ aratro respexerit ad ea quæ retrò sunt: (i. e. mundum) *appositus est ad regnum Dei.*
- 2 Missorii, ad *duos Discipulos.* *Mat.* 21. 2. *Mar.* 11. 2. *Luc.* 19. 29.
  Ite in vicum, & invenietis asinum ligatum, &c. *si quis dixerit, cur hoc facitis? dicite, Dominus opus habet, & statim mittet.*

Hucusque fuerunt Sermones Christi ad Discipulos solos: sequuntur ejusdem Sermones ad alios solos.

Hi

Hi autem reducuntur ad certa quędam paria, viz.

1. 1 Exhortantes.
   2 Expostulantes.
2. 1 Consolantes.
   2 Terrentes.
3. 1 Lugentes.
   2 Exprobrantes.
4. 1 Opponentes.
   2 Respondentes.
5. 1 Corrigentes.
   2 Dirigentes.

Par primum.

1 *Vnum*, viz. Ægrotum, quem sanaverat.
Ecce sanus factus es, ne pecces amplius. Jo. 5. 14.

1 Exhortantes sive Monentes Sermones habuit Christus vel ad

1 *Galilæos.*
Resipiscite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum. Mat. 4. 17. Mar. 1. 14.

2 *Turbam* de Doctrinæ suæ præstantia.
Omnis Scriba edoctus ad Regnum Cœlorum similis est Patri-familias, qui profert è Thesauro nova & vetera. Mat. 13. 51.

2 *Plures*, viz. (Quibus monet Turbam de suæ Doctrinæ præstantia in sapienti ejusdem administratione & de illorum officio in ipsam amplectendo.

2 Sermones expostulantes sive interrogantes habuit ad
- 1 *Turbam* de
  - 3 *Pharisæos.*
    Mementote uxoris Lot. — *Luc.* 17.
    Qui studuerit animam servare perdet eam, &c. — 32.33.
  - 1 *Johanne.*
    Quid exiistis ut spectaretis, arundinem? Hominem molliter amictum? Prophetam? &c. — *Mat.* 11. 7. &c. *Luc.* 7. 24. *&c.*
  - 2 Muliere, quæ fluxione laboravit.
    Quis tetigit vestimenta mea? — *Mar.* 5. 30. *Luc.* 8.45.
- 2 *Leprosum* sanatum.
  Nonne decem facti sunt mundi? at ubi sunt isti novem? non est inventus, &c. — *Luc.* 17. 17.

Par Secundum.

1 Sermones Consolantes & gratiosè invitantes, facti erant vel ad
- 1 *Omnes* indiscriminatim.
- 2 *Aliquot* particulatim.

Ad *Omnes*, consolando contra onus peccati, idq;
- 1 A Promptitudine suâ ad opitulandum.
  Venite ad me omnes qui laboratis, &c. *Ego refocillabo: tollite jugum meum* (i. e. obedite mandatis meis) Et, *Discite à me,* &c. — *Mat.* 11. 28.
- 2 A Promissione vivificandi per spiritum.
  Si quis sitit, veniat ad me & bibat; qui credit in me, flumina aquæ vitæ fluent ex ventre ejus. — *Io.* 7.37.

Ad

	Ad *Aliquot* particulatim.	*Mat.* 9.
1	Ad *Mulierem* fluxione laborantem.	22. *Mar.*
	Confide Filia, fides te servavit ; abi in pace.	5.34. *Luc.* 8.
2	Ad *Jairum* de Filia sananda.	48.
	Ne metue, solùm crede, & servabitur.	*Mar.* 5.
3	Ad *Patrem* Filii Spiritum surdum & mutum habentis.	36. *Luc.* 8.50.
	Si potes credere, fiet tibi ; credenti enim omnia fieri possunt.	*Mar.* 9.
4	Ad *Bartimæum.*	23.
	Quid vis tibi faciam? abi, fides tua te servavit.	*Mar.* 10.
5	Ad *Paralyticum.*	51. *Luc.*
	Heus tu, remissa tibi sunt peccata. Et, *Tibi dico, Surge & abi.*	18. 41.
6	Ad *Mulierem* flentem & pedes Christi lachrymis lavantem.	*Mat.* 9.2 *Mar.* 2. 8. *Luc.* 5.
	Remissa tibi sunt peccata, fides tua te servavit, vade in pace.	24.
7	Ad *Leprosum* gratias agentem.	*Luc.* 7. 48.
	Surge & abi, fides tua te servavit.	
8	Ad *Latronem* in Cruce pœnitentem.	*Luc.* 17.
	Amen dico tibi, hodiè mecum eris in Paradyso.	19.
9	Ad *Decumbentem* juxta Piscinam.	*Luc.* 23.
	Cupis sanus fieri, &c. *tolle grabbatum,* &c.	43.
10	Ad *Martham* de Lazaro resurrecturo.	*Io.* 5.6.8.
	Frater tuus resurget, &c. Et, *Ego sum resurrectio & vita,* &c.	*Io.* 11.23. *&c.*
11	Ad *Zachæum* de salute ejus.	
	Hodiè salus domui tuæ contigit, &c.	*Luc.* 19. 9.

2 Sermones terrentes & minantes itidem habuit Christus vel ad { 1 *Omnes.* 2 *Aliquos.*

Ad

Ad *Omnes* de
- 1 Securo contemptu Euangelii.
  Væ vobis divitibus, nam perceptum habetis solatium vestrum: væ vobis qui impleti estis, &c. *qui ridetis*, &c. *cùm benè vobis dixerint*, &c. (i.e. qui neglecto Euangelio studetis mundanis fœlicitatibus) — *Luc.* 6. 24. 25.
- 2 Resipiscentiæ necessitate.
  Putatis Vos Galilæos præ omnibus peccatores fuisse? nisi vos resipiscatis omnes itidem peribitis. — *Luc.* 13. 2. 3.

Ad *Aliquos*, viz: vel
- 1 *Pharisæos*, de
  - 1 Peccato in Spiritum Sanctum.
    Convitium Spiritus sancti non remittetur in hoc sæculo, nec in futuro. (i.e. simpliciter nunquam; sicut Marcus explicat Matthæum. vel per Hebraicam μείωσιν, negationem in contrarium maximè affirmando; absque venia punietur in utroque seculo: remittetur nunquam, punietur in æternum, est ergò gravissimum.) — *Mat.* 12. 31. *Mar.* 3. 29.
  - 2 Periculo securitatis.
    Cum impurus spiritus exierit ab homine, &c. *dicit*, revertar domum meam unde exiui; *&, cum venit, invenit eam vacantem, versam*, & *ornatam* (i.Securum animum & voluptatibus indulgentem) *tum assumit septem*, &c. Et *fit ultima conditio pejor*, &c. — *Mat.* 12. 43. *Luc.* 11. 24.
- 2 *Mulieres* Hierosolymitanas de pœna eventura Judæis.
  Filiæ Hierosol: ne flete super me, verùm super vobis — *Luc.* 23. 28. &c.

vobis & liberis vestris, &c. *nam ecce venient dies, quibus dicent*, Beatæ steriles, &c. *tum dicent montibus*, Cadite super nos, &c. *nam si in virente ligno ista faciant*, &c.

3 Ingratos *Judæos*, minando discessum ab ipsis.

Adhuc paulisper, & deinde abibo, quæretis me, Io. 7. 33.
nec invenietis, &c. 34.

Huc etiam referri possunt Sermones Christi Repudiantes sive rejicientes.

Qui facti erant vel ad

1 *Scribam* Christum sequi volentem.
Vulpes lustra habent, &c. *Filius autem* Mat. 8.
Hominis nõ habet ubi caput reclinet, &c. 19.
(Erat iste Scriba, ut videtur, delicatus & voluptatibus deditus, qui in numerum Discipulorum petiit recipi, ut à Domino opes & voluptates acquireret: quem (ut constat) rejicit Christus deterrendo ipsum delicatum & voluptates quærentem commemoratione suæ inopiæ) Luc. 9. 58.

2 *Mulierem* Syrophœnissam, ipsam apparentèr rejiciendo.
Sine priùs saturari liberos; non est bonum accipere panem liberorum, &c. Mat. 7. 27.

3 *Capernaitas* in deserto loco, cum eum retinere conabantur.
Etiam in aliis urbibus euangelizare me oportet, ad hoc enim missus sum, &c. Luc. 4. 43.
(his recusavit cum illis manere)

Par

Par Tertium.

1 Lugentes Sermones habuit Christus *Hierosolymitanos.*

idque
- 1 Ob ingratitudinem illorum; quòd per Prophetas & etiam Christum ipsum moniti obtemperare noluerint.
  O Jerusalem, Jerusalem, qui trucidas, &c. *Mat.* 23.
  Quoties volui te congregare? &c. *Ecce relinquitur domus vestra deserta,* &c. 37. *Luc.* 13.
- 2 Ob cæcitatem & futurum exitium. 34.
  Visâ urbe flevit, dicens, O si vel tu nosses, quæ ad pacem tuam pertinent, nunc autem occulta sunt oculis tuis; nam veniet tempus, quo circumjicient inimici vallum, &c. *& solo adæquabunt,* &c. *quòd non agnoveris tempus visitationis tuæ.* *Luc.* 19. 41.

2 Exprobrantes Sermones habuit Christus.

1 Ad *Corazin* & *Bethsaidam*, exprobrando ipsis impœnitentiam.
Væ tibi Corazin, &c. *nam si in Tyro & Sydone editæ fuissent,* &c. *Attamen dico, Tyri & Sidonis tolerabilior erit conditio,* &c. Et, *tu Capernaum quæ exaltata es,* &c. *Mat.* 11. 20. &c. *Luc.* 10. 13. &c.

2 Ad *Pharisæos*, exprobrando ipsis voluntariam cæcitatem.
Ad Judicium dicendum veni in Mundum; ut, qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant. Et, *Si cæci essetis, non haberetis peccatum* (i. insanabile, inexcusabile) *Nunc verò dicitis,* Videmus, *itaque peccatum vestrum manet.* (i.) inexcusabile. *Jo.* 9. 39. 41.

3 Ad *Scribas* & *Pharisæos*, criminando illos.

1 Quòd Regnum Cœli aliis claudant (id est, doctrinam

doctrinam pestilentem proponant, & per Comminationem Excommunicationis & malum exemplum à verâ avertant.

Væ vobis, Scribæ, Pharisæi, Hypocritæ; quoniam clauditis Regnum Cœli; vos enim non introitis, nec introeuntes sinitis introire. *Mat.* 23. 13. *Luc.* 11. 12.

2 Ob Avaritiam cum Hypocrisi conjunctam, quòd Domus viduarum devorarent, idemque simulatis pro eis precibus tegerent: i. e. totas illas spoliarent sub prætextu Pietatis.

Væ vobis S. P. H. *quoniam exeditis Domos Viduarum, idque in specimen utentes longis precibus,* &c. *Mat.* 23. 14.

3 Ob iniquum studium (quod fecerunt moti Avaritiâ ut munera ampla gratitudinis ab eis reciperent) Gentiles ad Religionem Judaicam adducendi & corrumpendi. *Mar.* 12. 40.

Væ vobis, S. P. H. *quoniam circumitis (Mare & Aridam, ut faciatis unum Proselytam, & cum fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ,* &c. *Mat.* 23. 15.

4 Ob falsam doctrinam de Juramentis, extenuantes juramentum per res præstantiores, ut Templum & Altare, & aggravantes eadem per res minùs præstantes facta ut Aurum & Munus.

Væ vobis, S. P. H. *duces cæci, qui dicitis,* quisquis juraverit per Templum nihil est; quicunque autem per Aurum, debet. Et. Quisquis per Altare &c. *Stulti & Cæci; utrum majus est, Templum an Aurum, Altare an Munus?* &c. *Mat.* 23. 16. *&c.*

5 Ob omissionem Justitiæ, Charitatis & Fidelitatis erga Proximum, cùm leviora (*viz.* decimas ex vilioribus) solverent.

Væ vobis, S. P. H. *quoniam decimatis Mentham* &c. *Et omittitis graviora legis* &c. *Hæc oportuit facere* &c. Et. *Duces cæci, qui excolatis culicem, Camelum deglutitis.* *Mat.* 23. 23. *Luc.* 11. 42.

6 Ob

6 Ob Rapinam (1) Avaritiam & Intemperantiam conjunctam cum studio externæ puritatis.

Væ vobis, S. P. H. *quoniam purgatis exteriorem poculi partem; intùs autem plena* sunt (illa) Rapinâ &c. *Cæce Pharisæe, purga primùm quod est intra* &c. *Mat.* 23. 25. *Luc.* 11. 39.

Item.

Assimiles estis Sepulchris dealbatis, quæ extrà apparent speciosa &c. *Ita & vos, extrà quidem apparetis justi, intùs verò pleni estis Hypocrisi* &c. *Mat.* 23. 27. *Luc.* 11. 44.

7 Ob Crudelitatem (quâ occisuri erant ab Eo mittendos) conjunctam cum hypocriticâ observantiâ Piorum Doctorum in ædificandis eorum Sepulchris.

Væ vobis, S. P. H. *quoniam ædificatis Sepulchra Prophetarum & ornatis Monumenta, & dicitis*, si fuissemus Nos temporibus Patrum nostrorum &c. *itaq; testamini vos esse Filios eorum* &c. *Complete mensuram Patrum vestrorum* &c. *Mat.* 23. 29. &c. *Luc.* 11. 47. &c.

Et. *Propterea dixit Sapientia Dei.* Mittam ad eos Prophetas &c. quosdam trucidabunt &c. ut à Natione istâ requiratur sanguis &c.

Par Quartum.

1 Sermonem Opponentem habuit Christus ad Pharisæos de *Seipso, viz.* cujus Filius esset, cùm dicerent illi Ipsum Davidis Filium.

Quomodo ergò David in Spiritu, (id est, suggerente & afflante Spiritu Sancto) *vocat eum Dominum* &c. *Mat.* 22. 43. &c. *Mar.* 12. 35.

2 Sermones Respondentes habuit Christus,

vel ad { 1 *Diabolum.* *Luc.* 20. 41. &c.
{ 2 *Homines.*

2 Ad Homines. viz. vel

1 Ad *Diabolum* ter tentantem. *Mat.* 4.
Scriptum est, &c. *Scriptum est*, &c. *Scriptum est*, &c. 4. 7. *Luc.* 4. 4.

2 Ad *Homines. viz.* vel

1 Unum vel
- 1 Superiorem, scil.
  - 1 Caipham.
  - 2 Pilatum.
  - 3 Præfectum Synagogæ.
- 2 Inferiorem.

2 Plures. Eosque, vel

1 Inimicos, *viz.*
- 1 Pharisæos: Eosque vel
  - 1 Solos.
  - 2 Cum Aliis. *viz.* cũ
    1. Scribis.
    2. Sadducęis
    3. Legis Interpretibus
    4. Cohorte Judæ.
    5. Herodianis.
- 2 Sadducæos: Eosque vel
  - 1 Solos.
  - 2 Cum Pharisæis: ut priùs.
- 3 Sacerdotes: & Eos vel
  - 1 Solos.
  - 2 Cum Scribis.
- 4 Judæos.

2 Amicos: Eosque vel
- 1 Remotiores: *viz.* Duos Discipulos Iohannis.
- 2 Propinquiores *viz.*
  - 1 Mariam & Martham.
  - 2 Cognatos.

1 Sermones Resp. ad unum facti.

1 Ad Caiphã
- 1 Adjurantem Eum per Deum ut diceret an esset Christus. *Mat.* 26. 64. *Mar.* 14. 62. *Luc.* 22. 67.

Tu dixisti; veruntamen dico, ab hoc tempore videbitis Filium Hominis sedentem

tem ad Dextram Potentiæ, &c.

2 Interrogantem de Discipulis & Doctrinâ Ejus.

Ego palam loquutus sum Mundo; semper docui in Synagogâ & Templo &c. Et in occulto loquutus sum nil: quid me interrogas? interroga eos qui audierunt. Jo. 18. 20. 21.

2 Pilatum
- 1 Quærentem de Regno Ipsius an esset Rex, & Rex Judæorum.

  Tu dicis. Et. *Regnum meum non est ex hoc Mundo;* si sic, *Ministri mei certassent, ne traderer Judæis. Ego ad hoc natus sum & veni in Mundum, ut Testimonium darem veritati &c.* Mat. 27. 11. Luc. 23. 3. Jo. 18. 36, 37.
- 2 Iactantem Potestatem, quam habuit, Ipsum crucifigendi.

  Non haberes adversus me ullam Potestatem nisi hoc tibi datum esset è supernis; propterea qui Me tradidit tibi majus habet peccatum. Jo. 19. 11.

3. Ad Præfectum Synagogæ indignantem, quòd Iesus Sabbatho sanâsset Mulierem incurvam.

Hypocrita, unusquisque vestrûm Sabbatho nonne solvit Bovem aut Asinum, & ducit aquatum? Hanc autem filiam Abrahæ, quam vinxit Satanas annis 18. Non oportuit à vinculo solvi die Sabbathi? Luc. 13. 15.

4 Ad Alios Inferiores non-nominatos.

1 Ad Quendam interpellantem Ipsum de præsentiâ Matris & Fratrum.

Quæ est Mater mea & Fratres? &c. *Quisquis fecerit voluntatem Patris qui est in Cœlis, is est meus Frater, Soror, & Mater,* (id est, mihi charus

tus instar Matris, Fratris, &c.)

2 Ad Mulierem quandam de verâ Beatitudine.

Immò beati sunt, qui audiunt Sermonem Dei & observant. Luc. 11. 28.

3 Ad Quendam è Turbâ petentem ut Jesus imperaret Fratri Hæreditatem secum partiri.

Quis me vobis Judicem aut Partitorem præfecit? cavete ab Avaritiâ; neque enim cùm bona cuipiam redundant, vita ipsi constat ex bonis suis. Luc. 12. 14. 15.

4 Ad Quendam de numero salvandorum quærentem.

Contendite intrare per angustam portam &c. Et. *Ex quo surrexerit Paterfamilias & occluserit ostium, & cœperitis pulsare* &c. *Et dicet, nescio unde vos sitis* &c. Et. *Venient ab Oriente* &c. Et. *Ultimi erunt primi* &c. Luc. 13. 24. &c.

5 Ad Samaritidem de vero potu.

Si scires donum Dei, & quis sit qui dicit da potum &c. Et. *Quisquis bibit ex aquâ istâ* &c. Et. *Crede mihi, venit tempus, quo neque in Monte hoc* &c. *Sed veri adoratores in Spiritu & veritate* &c. Jo. 4. 7. &c.

2 Sermones resp. ad plures facti.

1 Ad Pharisæos solos. idque.

1 Cum criminabantur Discipulos Ejus ob vellicationem Spicarum Die Sabbathi.

Non legistis quid fecerit David, cum esuriret? &c. Et. *Non legistis Sacerdotes in Templo Sabbathum profanare?* (id est, mactando pecudes, quod non minùs prophanum est quàm vellicatio Spicarum) *Et tamen insontes esse* (id est cum fecerint ut obedirent Dei mandato.) *Quod si cognôsetis quid sit,* Misericordiam volo, &c. Mat. 12. 3. &c. Mar. 2. 25. Luc. 6. 3. &c.

2 Quum interrogabant, licetne Sabbatho Sanare?

Quis habens ovem &c. Et. *Homo præstat pecude*, &c. Et. *Licetne in Sabbatho benefacere an malefacere? animam servare aut perdere?* &c. *Mat.* 12. 11. *Mar.* 3. 4. *Luc.* 6. 9.

3 Quum Ipsum calumniis affecerunt de Dæmonio ejecto per Belzebub. *Mat.* 12. 25. 30. *Mar.* 3. 23. *Luc.* 11. 17. 23.

Regnum divisum contra se vastatur &c. Et. *Qui non est mecum contra me est* &c.

4 De Divortio. *Mat.* 19. 4. *Mar.* 10. 6.

Non legistis, quòd qui hominem fecit, Masculum & Faeminam fecit &c. Et. *Moses permisit propter duritiem Cordis vestri* &c.

5 De Maximo Mandato. *Mat.* 22. 37. &c. *Mar.* 12. 29. *Luc.* 10. 26.

Diliges Dominum Deum tuum toto corde &c. Et. *Quid scriptum est in Lege? quomodo legis?* &c. Et. *Fac hoc & vives.*

Et. Ad Pharisæum approbantem istam responsionem.

Non longè es à Regno Cælorum.

6 Quum monebant Ipsum ut relinqueret Galilæam, ad cavendum periculum sibi imminens ab Herode. *Mat.* 12. 34.

Ite & dicite Vulpi isti, Ejicio Dæmonia & Sanationes perago &c. *Luc.* 13. 31. 32.

7 Quum murmurabant contra Discipulos Ejus quòd ipsi tribuerent Honorem Messiæ.

Dico vobis, Si siluerint isti, mox lapides clamarent. *Luc.* 19. 40.

8 Cum interrogabant de Cæco à Nativitate an Ipse vel Parentes peccâssent.

Nec Ipse nec Parentes &c. *Sed cæcus natus est ut opera Dei manifesta fiant in illo.* (id est, Deus in istâ cæcitate non respexit peccatum hujus vel alterius, sed alios fines: *viz.* manifestationem Iustitiæ in illo cæcitate puniendo, & misericordiæ Omnipotentiæque in visu conferendo.) Et. *Jo.* 9. &c.

Oportet

Oportet me operari opera Ejus donec dies est; venit Nox cùm nemo potest operari. (id est, in vocatione sedulò operandum est dum licet.)

2 Ad Pharisæos cum Scribis. idque

1 Quum Ipsum Blasphemiæ accusabant, quia peccata Paralytici remissa pronunciavit. *Mat. 9.* 4, 5. *Mar. 2.* 9 *Luc. 5.* 22. &c.

Quare cogitatis mala in Cordibus vestris? utrum facilius est dicere, remissa tibi sunt peccata: an, surge & ambula? ut autem sciatis &c.

2 Quum signum peterent.

Gens mala quærit signum, sed non dabitur, nisi signum Jonæ &c. Et. *Regina Austri* &c. Et. *Viri Ninivitæ surgent in Judicium.* &c. *Mat. 12.* 39. *Luc. 11.* 29. 31.

3 De Traditionibus Humanis.

Quare vos transgredimini Mandatum Dei Traditionibus vestris? Mandavit Deus dicens, Honora Patrem &c. *Vos autem dicitis*, Quicunque dixerit *Patri* &c: *donum erit quocunque à me juvari possis*, &c. *insons erit*, &c. (donum, id est, Deo consecratum: censebant enim Pharisæi facultates suas, quibus succurri poterat inopiæ Parentum, totas esse Deo offerendas: & sic Filij sub prætextu Religionis Parentes negligebant, existimantes se Filiorum officium præstitisse, si omnia Templo donâssent: quod eo fine asserebant Pharisæi (sicut haud dissimilitèr hodiè Pontificij) ut sub istâ specie Religionis omnia ad se traherent. *Mat. 15.* 2. &c. *Mar. 7.* 11. &c.

4 De Sanato ægroto die Sabbathi.

Pater adhuc operatur & Ego operor, (id est, Ille cum me Mundum conservando, ideoque rectè feci) Et. *Non potest Filius à seipso quicquam* &c. (sic pergit se defendere, & illos incredulitatis arguere, ad finem capitis.) *Jo. 5.* 17. &c.

De cujus facti rectitudine ipsos etiam (respon-
dendo) redarguit ab exemplo Circumcisionis, *Io.* 7.
quam Ipsi in Sabbatho celebrârunt, ideoque Ille 22, 23.
multo magis Sanare potuit.

Nonne Moses dedit vobis Circumcisionem &c. *Et vos Sabbatho circumciditis hominem? & mihi indignamini, quòd totum fecerim hominem Sabbatho?* &c.

5 Quum negabant ipsum esse Christum.

Me nostis, & unde sim nostis; & à meipso non veni; sed verax est qui me misit, &c. *Jo.* 7. 28. *&c.*

3 Ad Pharisæos cum Sadducæis.

Dicitis vos, serenitas erit, rubet enim Cœlum, &c.

Hypocritæ, faciem Cœli nostis explorare, hoc autem tempus (i. tempus exhibendi Messiæ claris signis monstratum) *quì fit ut non exploretis? gens mala quærit signum, at non dabitur, nisi,* &c. *Mat.* 16. 2. &c. *Mar.* 8. 12. &c.

4 Ad Pharisæos cum Legis interpretibus. *Luc.* 12.

De sanatione Hydropici in Sabbatho. 54. &c.

Quis vestrum, si ipsius Asinus aut Bos in puteum inciderit, non statim extrahet, &c. *Luc.* 14. 5

5 Ad Pharisæos cum cohorte Judæ,

Quum aderant ut ipsum caperent in horto.

Si me quæritis, sinite hos (i. Discipulos meos) *abire,* (i. ut non capiantur) *Io.* 18. 8.

6 Ad Pharisæos cum Herodianis.

Quum (licet inter se dissentientes) ad Christum illaqueandum convenirent de censu reddendo Cæsari, *Mat.* 22 19. *&c.* *Mar.* 12

Ostendite mihi numisma census, &c. Et, *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris,* &c. 13. *&c.* *Luc.* 20

7 Ad Sadducæos solos. 20. *&c.*

De uxore septem fratrum.

Erratis non scientes Scripturas, &c. *Filii hujus ævi ducunt*

ducunt uxores, &c. *qui verò digni habiti fuerint, ut* *Mat.* 22.
ævum illud consequantur, non ita, &c. *Sed sunt pa-* 29. *&c.*
res Angelis, &c. Et, *Mortuos excitari Moses in-* *Mar.* 12.
dicat dicens Dominum Deum esse Abraham, &c. 24. *&c.*
Deus autem non est Deus mortuorum, &c. *Luc.* 20.
8 Ad Sacerdotes solos. 27. *&c.*
Quum quærerent quâ authoritate opera sua fecerit.
Interrogabo ego vos rem quandam, Baptisma Jo- *Mat.* 21.
hannis unde? &c. Et, *Neque ego dico vobis*, &c. 24. *&c.*
9 Ad Sacerdotes cum Scribis. *Mar.* 11.
Quum indignarentur quòd pueros Hosanna cla- 29. &c.
mantes audirent. *Luc.* 20.
Nunquam legistis, Ex ore Infantium perfeciſti 1. *&c.*
laudem? &c. *Mat.* 21.
10 Ad Judæos. 16.

1 De pane Cœlesti.
Operemini cibo, non qui perit, sed qui permanet in *Jo.* 6.
vitam æternam, &c. Et *hoc est illud opus Dei, ut* 27. *&c.*
credatis, &c. Et *Panis Is est qui è Cœlo descendit*, &c. Et, *Ego sum Panis*, &c.
Et quum ob hæc murmurarent.
Nemo potest venire ad me nisi Pater traxerit, &c.
Et, *Qui credit in me vitam habet*, &c. Et, *Nisi ede-* *Ibid.*
ritis carnem meam, &c.

2 Quum quærerent signum, quo demonstraret se potestatem habere purgandi Templum.
Destruite Templum hoc, (i. Corporis mei) *& tri-* *Jo.* 2. 19.
duo excitabo illud.

3 De Doctrina sua.
Doctrina mea non est mea, sed Ejus qui misit me. *Jo.* 7. 16.
&c.

4 Quum quærerent in Encœniis, an esset Christus?

Dixi vobis, nec creditis; Opera quæ facio, testantur; sed vos non creditis, non enim estis ex Ovibus meis: Oves meæ vocem audiunt, & ego eas agnosco, & vitam æternam do eis, nec rapiet quisquam, &c. Jo. 10. 25. &c.

5 Quum ipsum lapidarent.

Multa bona opera exhibui vobis, propter quod eorum me lapidatis? (replicantibus ipsis, *quia tu homo cùm sis facis te Deum,* respondit) *Nonne scriptũ est vestrâ lege,* Dixi Dii estis? *&, quem Pater misit in Mundum, de eo dicitis,* blasphemas; *quia dixit, Filius Dei sum?* &c. *Si non facio Opera Patris mei, ne credite, &c.* Jo. 10. 32. &c.

11 Ad duos Discipulos Johannis. Mat. 9. 15. Mar. 2. 19. Luc. 5. 34.

1 Quum quærerent quare non jejunarent Ejus Discipuli.

Num possunt lugere filii Thalami, quamdiù cum eis est sponsus? veniet autem dies, &c.

2 Quum quærerent, an Is esset, qui venturus erat?

Renunciate quæ auditis & videtis; Cæci vident, Surdi audiunt, &c. Mat. 11. 5. Luc. 7. 22.

12 Ad Mariam & Martham.

De Lazaro ægrotante.

Morbus hic non est immissus ad Mortem (i. ad talem mortem, in qua maneret ad ultimam Resurrectionem; Christus enim erat Ipsum mortuum brevi excitaturus) *sed ut glorificetur Deus* (i. in ipso excitando.) Jo. 11. 4.

13 Ad Cognatos.

Quum ipsum exhortarentur, ut ad festum ascenderet.

Tempus meum nondum adest; vestrum semper est paratum; non potest mundus vos odisse; me odit, quoniam testor de eo Opera ejus mala esse: vos ascendite; Jo. 7. 6. &c.

dite ; ego nondum ; quia tempus meum nondum est impletum, &c.

Par Quintum.

1 Sermones corrigentes.

Sermones Christi Corrigentes & Reprehendentes facti, sunt vel ad

1 Parentes.

2 Alios & vel ad

1 Vnum, eúmque vel

1 Non-nomina-tū, viz.

1 Quendam Juvenem.

2 Quendam Ministrum.

2 Nominatum, viz.

1 Martham.

2 Nicodemum.

2 Adplures scil. vel

1 Pharisæos.

2 Nazarethanos.

3 Ementes & vendentes in Templo.

4 Capernaitas.

5 Flentes ob mortem filiæ Jairi.

6 Turbam Ipsum comprehendentem.

Sermones Corrigentes et Reprehendentes facti.

1 Ad Parentes, idq; vel ad

1 Vtrosque simul, quum ipsum sollicitè quærebant.

An nesciebatis me in negotiis Patris mei esse oportere? *Luc.* 2. 49.

2 Matrem solam, præscribentem ipsi tempus opem ferendi, quum deesset vinum.

Mulier, quid mihi tecum? nondum venit hora mea. (i. momentum opem ferendi, destinatum à Patre.) *Jo.* 2. 4.

2 Ad juvenem quendam divitem.
Cur me bonum dicis? (i. cum Me pro Deo non habeas) *nemo bonus, nisi unus*, &c. — *Mat.* 19. 17.

3 Ad Ministrum quendam percutientem ipsum bacillo.
Si malè loquutus sim testare de malo; sin benè, cur me cædis? — *Mar.* 10. 18. *Jo.* 18. 23.

4 Ad Martham ob
1 Querimoniam de Sorore Maria.
Martha, Martha, sollicita es & satagis de multis; at qui unâ re opus est, & Maria elegit, &c. (ubi reprehendit Marthæ nimiam sollicitudinem præstandi ipsi officium humanitatis neglecto studio proficiendi in cognitione æternæ salutis; ob quod studium Mariam laudat.) — *Luc.* 10. 41. 42.
2 Incredulitatem de Lazaro excitando, quia per 4 dies in Sepulchro jacuisset.
Nonne dixi tibi fore, si credideris, ut videas Gloriam Dei? &c. — *Jo.* 11. 40.

5 Ad Nicodemum.
Ob crassam ignorantiam.
Tune es Pastor Ille Israelis, & hæc non nosti? (i. e. Doctor populi Dei, et tamen ignoras Regenerationis doctrinam?) — *Jo.* 3. 10.

6 Ad Pharisæos.
1 Quum Ipsum culparent, quòd cum Publicanis ederet. — *Mat.* 19. 13. *Mar.* 2. 17. *Luc.* 5. 30.
Ite et discite quid sit, Misericordiam volo, &c. Et, *Eis, qui valent, non opus est Medico*, &c. Et, *Non veni ut vocarem justos*, (i. qui sibi videntur justi.)
2 De malitia cordis ipsorum.
Aut facite arborem bonam et fructum bonum, &c. — *Mat.* 12. 33. &c.
Et,

Et, *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? nam ex redundantia cordis,* &c.
Et, *Bonus homo ex bono thesauro,* &c.

3 Quum ipsum irriderent.
Vos estis, qui justificatis vos ipsos coram Mundo, *Luc.* 16.
Deus autem novit corda vestra, &c. 15.

7 Ad Nazarethanos.
Ob incredulitatem.
Non est Propheta inhonoratus nisi in Patria sua, *Luc.* 4.
&c. Et, *Dico vobis, multæ viduæ erant in diebus* 25. &c.
Eliæ, sed ad nullam missus est Elias nisi ad Sareptanam, &c.

8 Ad Ementes & vendentes in Templo. *Mat.* 21.
Scriptum est, Domus Mea Domus orationis, &c. 13.

9 Ad Capernaitas. *Mar.* 11.
Reprehendendo perversum ipsorum studium, 17.
quòd ipsum quæsiverunt ventris non doctrinæ causâ.
Quæritis me, non quia vidistis signa, &c. *Jo.* 6. 26.

10 Ad flentes ob mortem filiæ Jairi.
Quid tumultuamini & fletis? puella non est mortua sed dormit. *Mat.* 9. 24. *Mar.* 5. 39.

11 Ad turbam ipsum apprehendentem.
Ut adversus Latronem existis cum gladiis, &c. *Luc.* 8.
Et, *Hæc est hora illa,* &c. 52.

Sermones Dirigentes.

Qui facti sunt vel ad
- 1 Vnum, viz:
  - 1 Non-nominatum. viz.
    - 1 Juvenem divitem. *Mat.* 26.
    - 2 Leprosum sanatum. 55. *Mar.*
    - 3 Dœmoniacũ liberatũ. 14. 48.
    - 4 Pharisæum invitantẽ. *Luc.* 22.
  - 2 Nominatum, viz:
    - 1 Nicodemum. 53.
    - 2 Zachæum.
- 2 Plures, viz:
  - 1 Convivas.
  - 2 Turbam.

1 Ad

1 Ad Iuvenem divitem, quum quæreret perfectionem. *Mat.* 19. 17. 21.

Serva mandata &c. Et. *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus, & sequere me* &c. *Mar.* 10. 19. &c.

2 Ad Leprosum sanatum. *Luc.* 18.

Vide ut nemini quicquam dicas, sed abi & ostende te Sacerdoti, et offer munus &c. (id est, ne dicas antequam ostenderis, ne falsum judicium pronuncietur de purgatione ex odio Iesu: sed ostende in Testimonium contra ipsos, i. e. ut Hostes mei per judicium Sacerdotis, qui te mundum pronuntiaturus est, convincantur impietatis quòd nolunt in me credere. 18. &c. *Mat.* 8. 4 *Mar.* 1. 44.

3 Ad Dæmoniacum liberatum, petentem ut Iesum sequeretur.

Abi domum tuam ad tuos & renuntia quanta tibi Dominus præstiterit, &c. *Mar.* 5. 19. *Luc.*

4 Ad Pharisæum de vocandis ad prandium vel cænam. 8. 39.

Quum facis prandium aut cænam, ne vocato amicos aut fratres, &c. *Luc.* 14. 12. &c.

5 Ad Nicodemum de causis vitæ æternæ.

Nisi quis genitus fuerit &c. Et. *Quod genitum est ex Carne Caro est* &c. Et. *Ne mireris, ventus spirat ubi vult* &c. *Jo.* 3. 3. &c.

Distinctiùs proponit salutis.

1 Causam sine quâ non, *viz.* Regenerationem.

Nisi quis genitus fuerit &c. *v.* 3.

2 Authorem. *viz.* seipsum:

Nullus ascendit, nisi qui descendit, viz. *Filius Hominis*, &c. *v.* 13.

3 Modum quo vitam nobis acquisivit, *viz.* per Mortis obedientiam.

Prout Moses exaltavit Serpentem &c. *v.* 14.

4 Instrumen-

4 Instrumentum, quo ipsum amplectimur. *viz.* Fidem.

Quisquis credit, non perit, &c. *v.* 15. 18.

5 Causam impulsivam. *viz*: Dei Amorem gratuitum.

Ita dilexit Deus Mundum &c. *v.* 16.

6 Causam condemnationis impiorum. *viz.* In credulitatem.

Hæc est condemnatio, quòd lux venit in Mundum, sed dilexerunt homines tenebras, &c. *v.* 19.

6 Ad Zachæum.

Descende, hodiè enim domui tuæ oportet me manere. *Luc.* 19. 5.

7 Ad Convivas de Modestiâ in accumbendo.

Cum vocatus fueris ab aliquo, ne accumbito in primo Loco &c. *nam quisquis se extollit*, &c. *Luc.* 14. 7. ad 12.

8 Ad Turbam.

1 De Pertinaciâ in malâ causâ.

Dum abis cum Adversario ad Magistratum, da operam ut libereris, ne trahat te ad Judicem, &c. *dico, non exibis, usque quò reddideris* &c. *Luc.* 12. 58. 59.

2 De Conditionibus requisitis in Discipulis suis.

Respectu

1 Ingressus in Scholam; ut parati sint odium 'pati & persecutiones.

Si quis venit ad me, & non odit Patrem &c. Et. *Non portat Crucem* &c. Et, *Quis è vobis Turrim ædificaturus non priùs computat sumptũ?* &c. Et. *Quis Rex proficiscens ad prœlium non priùs consultat?* &c. id est, qui meus erit Discipulus, priùs perpendere debet an paratus sit odium pati, &c. ne cogatur cum pudore *Luc.* 14. 26. &c.

dore pedem referre: & qui militabit sub Me, an satis habeat virium ne succumbat, &c.

2 Progressus in Eâ, sub similitudine Salis.

Sal bonum est: si verò Sal insipidum fuerit, &c. (id est, Discipuli retinentes Gloriam Dei mihi placent; hoc autem amisso inutiles fiunt.) *Luc.* 14. 34.

3 De recto usu Lucis.

Ad huc parvo tempore vobiscum Lux est; ambulate dum habetis, ne tenebræ vos deprehendant &c. *Jo.* 12. 35. &c.

Hactenus Sermones Christi ad Discipulos & Alios sigillatim. Sequuntur Ejusdem Sermones ad Utrosque simul.

Sermones ad utrosque simul erant.

1 De recipiendâ Scribarum & Pharisæorum doctrinâ, sed vitandâ ipsorum hypocrisi & ambitione.

Scribæ & Pharisæi sedent in Cathedrâ Mosis; omnia ergo; quæ dixerint, facite; sed secundum opera ne facite &c. *Ligant enim onera* &c. *Amant* Rabbi *vocari* &c. *vos verò ne vocemini* Rabbi &c. *volunt stolati ambulare, & amant salutationes* &c. Et. *devorant viduarum domos* &c. *Mat.* 23. 2. &c. *Mar.* 12. 38. &c. *Luc.* 11. 43. &c.

2 De variis observandis.

Prout vultis ut faciant vobis Homines vos facite eis similitèr &c. *Date & dabitur vobis* &c. *Luc.* 6. 31. &c.

3 De Fide in Ipsum.

Quia ipse unum est cum Patre, & Lux, &c.

Qui me conspicit, conspicit eum qui misit &c. *Ego Lux veni* &c. *Qui me rejicit, habet qui ipsum condemnet: Sermo, quem loquutus sum, damnabit.* *Jo.* 12. 44. &c.

bit. Ego ex Meipso non sum loquutus ; quæ ego loquor, prout dixit mihi Pater, ita loquor.

Hactenus Dicta Christi Perspicua et aperta. Sequuntur Parabolica et Obscuriora.

- Eaque facta, vel ad
  - 1 Discipulos: eosque
    - 1 Solos.
    - 2 Cum Turbâ.
  - 2 Alios. *viz.*
    - 1 Unum *viz.*
      - 1 Simonem Pharisæum.
      - 2 Pharisæum Legis Interpretem.
      - 3 Alium Pharisæum.
    - 2 Plures.
      - 1 Turbam.
      - 2 Auditores.
      - 3 Scribas & Pharisæos.
      - 4 Sacerdotes.
      - 5 Judæos.

Dicta Parabolica.

1 Ad Discipulos solos. idque:

1 De decem Virginibus. 5 sapientibus, & 5 fatuis; & earum exemplo de vigilantiâ.

Simile erit Regnum Cælorum decem Virginibus, quæ sumptis Lampadibus exierunt in occursum sponsi &c. *Fatuæ non sumpserant oleum, prudentes sumpserant* &c. *Vigilate, quia non scitis diem* &c. Mat. 25. 1. ad 14.

2 De Talentis, & de Vigilantiâ in Officio.

Quidam peregrè profecturus vocavit servos & tradidit eis bona sua, aliis quinque *talenta, aliis duo &c. dicens negotiemini donec veniam &c.* Et. *Luc.* 19. *Habenti dabitur: qui non habet, tolletur ab eo etiam quod habet; sive quod videtur habere.* Mat. 25. 14. ad 31. 11. ad 28.

3 De

3 De Seminis (& verbi Dei) occulto incremento.

Ita est Regnum Dei, ut si quisquam jaciat semen in terram, & dormiat: & exsurgat nocte ac die, & semen germinet, quo modo ipse nesciat; & fructum fert. 1 Herbam. 2 Spicam: deinde plenum frumentum &c. Mat. 4. 26, 27.

4 De Dispensatore injusto.

Fuit Homo dives, qui habebat Dispensatorem; & is delatus est ad eum, ut qui dissiparet ipsius bona &c. Et, *Quid est quod audio? redde rationem &c.* Et. *Quid faciam? &c.* Et, *Novi quid sim facturus &c. Convocatis igitur Domini Creditoribus* &c. *Sic dico, facite vobis amicos ex Mammonâ injusto* &c: (id est, Divitiis adjuvate pauperes, ut ipsi precibus impetrent à Deo ut vos in Cœlum recipiat.) Et, *Qui fidelis est in minimo, etiam in multo* &c. Et, *Nemo potest duobus Dominis servire* &c. (id est, Deo & Mamonæ.) Luc. 16. 1. ad 13. Mat. 6. 24. Luc. 1. 13.

5 De verâ & falsâ fælicitate.

Homo quidam erat dives & induebatur purpurâ, & se exhilarabat quotidiè &c. Et: *Erat Mendicus, nomine Lazarus &c.* Et: *Mendicus mortuus est, & asportabatur ab Angelis in sinum Abrahæ &c. Dives mortuus est & sepultus, & in* Inferno *sublatis oculis* &c. Luc. 16. 19. &c.

6 De Judice & Viduâ.

Ad persuasendum, quòd oportet precari et non segnescere.

Judex quidam erat, qui Deum non timuit &c. Erat etiam Vidua quædam &c. Et: *Audite, quid Judex injustus dicit* &c. Et, *Non Deus vindicaturus est suos* &c. Luc. 18. 1. ad 9.

7 De

7 De Pharisæo & Publicano ad damnandum fastum justitiariorum.

Duo homines ascenderunt in Templum precandi causa, &c. *Pharisæus dixit*; Non sum ut iste Publicanus, &c. *Publicanus verò*, Propitius esto mihi, &c. *Dico, descendit Iste justificatus potiùs quàm Ille*, &c. Luc. 18. 9. ad 15.

8 De Excidio Templi & adventu suo ad Judicium.

Discite Parabolum à ficu; cum emiserit folia, agnoscitis propè esse æstatem, ita cum videritis hæc (i. signa prædicta) &c. Mat. 24. 32. Mar. 13. 28. Luc. 21. 29.

2 Ad Discipulos cum Turba.

De falsis Doctoribus & Consultoribus malis. Dicebat eis Parabolam. *Num cæcus potest cæcum ducere?* &c. Luc. 6. 39.

3 Ad Simonem Pharisæum.

De muliere peccatrice pedes Christi lachrymis lavante, &c.

Duo debitores erant cuidam Creditori, unus debnit denarios 500, *alter* 50. *& cum non essent solvendo, condonavit utrisque: Horum uter plus diliget?* &c. Et, *Vides tu hanc mulierem? Domum tuam ingressus sum, aquam pedibus non dedisti*, &c. Et, *Dico, remissa tibi* (i. Mulieri) *sunt peccata.* Luc. 7. 41. &c.

4 Ad Pharisæum legis Interpretem.

De Proximo; quis verè Ille sit.

Quidam descendebat ab Hierosolymâ versus Jerichuntem & incidit in Latrones, &c. *Casu descendit per viam illam sacerdos, qui viso eo prateriit, similiter Levita*, &c. *Samaritanus autem venit ad eum, & misericordiâ commotus est*, &c. *Quis horum trium proximus fuit?* &c. *abi tu & fac similiter.* Luc. 10. 30. &c.

5 Ad Alium quendam Pharisæum:

De

De magnâ Cæna & de nimia cura divitiarum & voluptatum; & de vocatione Gentium. *Luc.* 14. 15. *&c.*

Homo quidam fecit magnam Cænam, misitq; servum ut diceret, Venite. Et (Illis se excusantibus propter Agrum, juga Boum, & Vxorem) *misit in Plateas & Vicos, & in Vias & Sepes,* &c.

(Sic Deus misit Filium ad Judæos et Gentiles) Similis est Parabola de vocatis ad Nuptias. *Mat.* 22. 2. *&c.*

6 Ad Turbam.

1 De Contumacia Judæorum:

Cui assimilabo Gentem istam? Similis est pueruli qui sedent in foris et acclamant sodalibus, dicentes, Cecinimus & non saltastis, &c. *Venit enim Johannes, nec edens, &c. & aiunt, Dæmonium habet. Venit Filius hominis edens,* &c. *&, ecce Homo edax,* &c. *Sed justificata est Sapientia,* &c. *Mat.* 11. 16. *Luc.* 7. 31.

2 De semine quadrifariam cadente, & de verbo Dei quadrifariam accepto; & sic de vera audiendi ratione.

Seminator exiit ad seminandum, & alia ceciderunt juxta viam (i. in cor non attentum,) *alia in petrosa* (i. in Temporarium qui ortâ afflictione offenditur,) *alia inter spinas* (i. inter divitias,) *alia in terram bonam* (i. in Attentum & fructum ferentem.) *Mat* 13. 3. *&c.* *Mar.* 4. 3. *&c.* *Luc.* 8. 4. *&c.*

3 De vigilantia Diaboli, cum nos securi sumus, & de finali separatione Hypocritarum &c. à veris cultoribus, licet in hac vita admixti sint.

Simile est regnum Cœlorum Seminanti bonum semen, &c. *Quum autem dormirent homines, venit inimicus,* &c. Et, *Sinite simul crescere usque ad messem,* &c. *Mat.* 13. 25. *&c.* *v.* 47. *&c:*

Sic etiam in Parabola de Sagena bonos & malos Pisces comprehendente.

2 De

4 De potentia Evangelii in cordibus Electorum, in Parabolis de grano sinapis,& fermento.

Simile est Regnum Cœlorum grano sinapis quod acceptum quisquam seminavit in agro; quod minimum est,&c. cùm autem excreverit,&c. Mat. 13. 31. &c. Mar. 4.

Item, *Fermento, quod acceptum mulier recondidit in farinæ satis tribus, usq; quò fermentaretur tota,* &c. 30. &c. Luc. 13.

5 De Evangelii præstantia, & quanti à nobis faciendum est. 19. &c.

Simile est Regnum Cœlorum Thesauro occultato in agro, quod repertum homo occultavit, & ex gaudio, &c. Item, *Negotiatori quærenti Margaritas, qui inventâ quapiam,* &c. *vendidit omnia & emit eam,* &c. Mat. 13. 44. &c.

6 De periculo Avaritiæ.

Hominis cujusdam exuberarat Regio; itaque ratiocinabatur apud se, dicendo; quid faciam? ædificabo, &c. Et, *Stulte, hac nocte,* &c. Luc. 12. 16.

7 Ad Auditores quosdam.

De ficu sterili, & de misericordia Dei in concedendo impiis resipiscentiæ spatio.

Ficum habebat quidam plantatam in vinea, & venit quærens fructum, &c. Et, *Sine eam hunc annum usque quò fodero, &c.* Luc. 13. 6. &c.

8 Ad Scribas & Pharisæos.

1 De salute hominum, quàm accepta nobis eadem esse debeat (murmurantibus illis, quòd cum peccatoribus ederet,&c)

Quis è vobis, si habeat drachmas 10, &c. *Ita gaudium est apud Angelos,&c.* Luc. 15. 2. ad 11.

2 De prodigalitate; & de Misericordia Dei in recipiendis peccatoribus.

Quidam habuit duos filios: Junior dixit, Pater, da mihi Partem meam, &c. ubi *Pater* significat Deum: Luc. 15. 11. &c.

Deum: *Filius prodigus* peccatores manifestarios: *Filius murmurans*, Scribas & Pharisæos Justitiarios, murmurantes ob receptionem peccatorum.)

9 Ad Sacerdotes.

1 De Hypocritis qui aliis paratiores videri volunt & tamen voluntatem Dei minùs faciunt.

Quidam habuit duos filios; & accedens ad priorem, dixit, abi: operare hodiè, &c. (Applicatio) *dico vobis; Publicani & meretrices præeunt vobis in Regnum Cœlorum: venit enim ad vos Johannes, & non credidistis*, &c. *Publicani verò*, &c. *crediderunt, & vos, hoc viso, non pœnituistis*, &c. *Mat.* 21. 28. &c.

2 De persecutione. exemplo servorum & Filii male tractatorum.

Fuit Paterfamilias qui plantavit vineam, &c. *Quum tempus fructuum appropinquâsset*, &c. *misit servos*, &c. *misit alios*, &c. *tum misit Filium*, &c. *Agricolæ verò dixerunt*, Hic est Hæres, &c. *tum captum ejecerunt eum*, &c. (Applicatio) *Non legistis, quòd ad lapidem attinet, quem reprobârunt ædificatores*, &c. *propterea tolletur à vobis Regnum Dei, & dabitur Genti, quæferat fructus*, &c. *Mat.* 21. 33. &c. *Mar.* 12. 1. &c. *Luc.* 20. 9. &c.

10 Ad Judæos.

De bono Pastore.

Qui non ingreditur per ostium (i. Oves in Ecclesiam per Me tanquam per Ostium non introducit) *fur est* (i. falsâ doctrinâ vitam æternam illis suffuratur) *qui verò ingreditur, Pastor est: huic aperit janitor: quum Oves emiserit, antegreditur, & Oves Illum sequuntur, alienum fugiunt. Ego sum Ostium, qui ante me venerunt* (i. qui vel se vel alium præter Me profitebantur Ostium) *fures sunt. Ego sum Pastor bonus, Mercenarius fugit*, &c. *Io.* 10. ad 19.

Hactenus

Hactenus Parabolæ Christi. Huc etiam referri possunt Dicta ipsius Allegorica.

Quale est illud ad Discipulos Johannis, defendendo Discipulos suos, quòd non expediat illis tunc jejunare. *Mat.* 19. 16. 17. *Mar.* 2. 21. *Luc.* 5. 36.

Nullus indit panniculum novum in vestimentum vetus, &c. *nec vinum novum in Vtres veteres*, &c. (Ita, nec jejunium, quod est quasi supplementum et vinum novum, convenit Discipulis meis, qui sunt quasi vestimentum vetus et utres veteres, ne sequatur fissura, ruptio. (i. ne deficiant.)

Hactenus Dicta sive Sermones Christi ante Resurrectionem: sequuntur ipsius Sermones post Resurrectionem.

Et Hi facti erant vel ad
- 1. Vnum. viz.
  - 1 Thomam.
  - 2 Petrum.
- 2 Plures. viz.
  - 1 Vtramque Mariam.
  - 2 Discipulos
    - 1 Duos.
    - 2 Vndecim.

1 Ad Thomam.

Reprehendendo ipsum ob incredulitatem.

Infer digitum; vide manus; ne esto incredulus, &c. Et *Quia vidisti me, credis? beati, qui non vident & tamen credunt*, &. *Jo.* 20. 27. 29.

2 Ad Petrum.

1 Excitando ipsum ad diligentiam sinceram in officio Pastorali. *Io.* 21. 15. 16. 17.

Simon, diligis me? Pasce oves meas, agnos meos, &c.

2 Significando ipsi, quam Mortem passurus erat; *viz:* violentam. Martyrium.

Amen dico tibi, quum esses Junior, cingebas te & ibas quo volebas; quum autem Senueris, extendes *Io.* 21. 18.

manum, & alius te cinget & transferet quò no-les.

3 Reprehendendo ipsius curiositatem, cùm curiosè quæreret de Iohanne. *v.* 22.
Si velim Eum manere donec veniam, quid ad te? sequere tu me, &c.

3 Ad utramque Mariam.
Avete ne timete; abeuntes annuntiate fratribus (id est, Discipulis) *meis ut abeant in Galilæam; illic me videbunt.* *Mat.* 28. 9. 10.

Sic ad Mariam Magdalenam flentem ob Surreptionem Corporis Ejus.
Quid fles? quem quæris? ne me tangito; nondum enim ascendi; sed vade ad Fratres meos & dic eis, Ascendo ad Patrem, &c. *Jo.* 20. 15, 16, 17
quasi dixisset. Nolo ut jam mecum manendo meque amplectendo tempus conteras, sed potiùs ut absque morâ ad Discipulos perturbatos accurras & annunties illis Resurrectionem meam ad fidem ipsorum firmandam: ad alios enim adjuvandos & præsertim in rebus ad Fidem & Conscientiam spectantibus, alacriter est à nobis festinandum.

Deinde hoc Dicto monet Christus contra Præsentiæ Corporalis pervicaces Patronos Se resurrexisse ut vitam agat in Cœlis, non ut in Terris ulterius versaretur; ideoque jam nec Corporis vel oculis conspiciendum, vel manibus prehendendum esse, sed Fide solum.

4 Ad Duos Discipulos euntes Emaum versus.
Qui sunt hi Sermones quos confertis inter vos? &c. *Luc.* 2
Et. *O Amentes & tardi Corde ad credendum* &c. 17. &
Nonne hæc oportuit Christum pati &c.

5 Ad 11. Discipulos.

1 In Galilæâ.

Profecti docete &c. Et, *Qui credit servabitur* &c. *Mat.* 28.
Signa autem Credentes hæc subsequuntur. Per 19.
nomen meum ejicient Dæmonia, &c. *Mar.* 16.

2 Hierosolymæ. 15. &c.

Pax vobis: quid turbati estis? videte manus &c. Et. *Habetis hîc esculentum?* &c. *Comedens dixit, Hi sunt Sermones quos locutus sum vobis, cùm adhuc essem vobiscum*, oportere impleri omnia *Luc.* 24. quæ scripta sunt in Lege Mosis, &c. *Ita scriptum* 36. &c. *est, & ita oportuit Christum pati* &c. *& prædicari in ejus nomine Resipiscentiam* &c. Et. *Vos estis horum testes. Ecce mitto promissum Patris super vos; vos autem manete in Urbe Hierosolymâ usque quò induamini robore.* Et. *Sicut me misit* *Mat.* 18. *Pater, ita Ego mitto vos. Accipite Spiritum San-* 18. *ctum; si quorum peccata remiseritis* &c. *Io.* 20, 21, 22, 23.

3 In Monte Oliveti dando ipsis
- 1 Mandata duo: *viz:*
  - 1 Ut expectarent Hierosolymæ missionẽ Spiritus. *Denuntiavit* (inquit Lucas) *ut expectarent Patris promissionem, quam* (inquit Christus) *ex me audivistis.* *Act.* 1, 4.
  - 2 Ut essent Sibi Testes per prædicationem Evangelij. *Eritis mihi Testes in Hierosolymâ*, &c. *v.* 4.
- 2 Promissum: *viz:* Ipsos brevi accepturos Spiritum Sanctum. *Johannes baptizavit Aquâ, vos verò baptizabimini S. Sancto post* *Act.* 1. 5. 7.

dies non multos &c. non est vestrum nosse Tempora &c.

Hactenus (quantâ fieri potuit brevitate) præcipua Christi *Dicta* eorundemque varia genera. *Facta* sequuntur.

FACTA CHRISTI.

Facta Christi erant, vel { 1 *Miraculosa.* 2 *Ordinaria.*

Facta *Miraculosa* erant Alia ad declarandam. { 1 *Justitiam* 2 *Potentiam* 3 *Misericordiam* } *Christi.*

1 Ad declarandam *Justitiam.*
Arefecit Christus Ficum, maledicendo ipsi ob sterilitatem, cùm nihil invenit in eâ nisi folia. (*unde discendum vanas ostentationes sine fructu detestari.*) *Mat.* 21. 19. *Mar.* 11. 14.

2 *Potentiam* declaravit. *Mat.* 12.

1 *Ambulatione*, & Suâ & Petri, super Mare. 25. 29. *Mar.* 6. 48.

2 *Acquisitione Tributi* per miraculosam Petri Piscationem. *Mat.* 17. 27.

3 *Captura Piscium* in lacu Gennesaret, jubendo Simonem cum socijs ut Rete ejicerent, quod inde comprehendebat multos Pisces. *Luc.* 5. 2. &c.

4 *Conversione Aquæ* in Vinum in Cana Galilææ. *Jo.* 2. 1. &c.

5 *Sedatione*

5 *Sedatione*
- 1 Tempestatis in Lacu Gennesaret per objurgationem Maris. — *Mat.* 8. 22. *&c.* *Mar.* 4. 35. *&c.* *Luc.* 8. 22. *&c.*
- 2 Venti contrarij, cum Petrus ambulans super Mare cæpisset demergi. — *Mat.* 14. 32. *Mar.* 6. 51.

6 *Excitatione* à Mortuis
- 1 *Filiæ Jairi*, prehendendo ejus manum & clamando. *Heus, Puella, surge.* — *Mat.* 9. 25. *&c.* *Mar.* 5. 41. *&c.* *Luc.* 8. 54. *&c.*
- 2 *Filii Viduæ Naim*, tangendo loculum & dicendo. *Tibi dico, surge.* — *Luc.* 7. 14.
- 3 *Lazari* Bethaniæ post quatuor dies ab Ejus Sepulturâ, dicendo, *Lazare, adesdum foras.* — *Jo.* 11. 43. 44.

3 *Misericordiam* declaravit
- 1 *Ejectionibus.*
- 2 *Cibationibus.*
- 3 *Sanationibus.*

quibus etiam (sicut in reliquis omnibus) potentiam abundè illustravit; sed præcipuè in his declaravit Potentiam conjunctã cum Misericordiâ.

1 *Ejecit*
- 1 Varios Spiritus impuros. — *Mat.* 8. 16. *Mar.* 1. 24. *&c.* *Luc.* 4. 34. *&c.*
- 2 Dæmonium, *Capernaimi*, exclamans *Quid* nobis tecum? — *Mat.* 8. 27. *&c.* *Luc.* 8. 30. *&c.*
- 3 Dæmonium in Regione *Gergesenorum*, interrogando priùs *Quodnam est tibi nomen?*

4 Dæmonium mutum; quod Phariſæi dixerunt factum fuiſſe per Belzebub. *Mat. 9. 33. &c.*

5 Dæmonium mutum & cæcum, ad obſtupefactionem Turbæ, ſed calumniam Phariſæorum. *Mat. 12. 22. &c.*

6 Dæmonium Lunaticum ad petitionem Patris ejus qui Dæmoniacus erat, erigendo Dæmoniacum ipſum prehenſâ manu ejus & increpando Dæmonium. *Mat. 17. 18. &c. Mar. 9. 25. &c. Luc. 9. 37. &c.*

7 Alterum Dæmonium è Puellâ in Partibus Tyri & Sidonis. *Mat. 15. 22. &c. Mar. 17. 29. &c.*

2 *Cibavit.*
- 1 5000 in *Deſerto* quinque Panibus & duobus Piſcibus. *Mat. 14. 20. &c. Mar. 5. 41. &c. Luc. 9. 12. &c.*
- 2 4000 in *Monte* ſeptem Panibus & paucis Piſciculis. *Jo. 6. 5. &c. Mat. 15. 36. &c. Mar. 8. 6. &c.*

3 *Sanavit.*

1 Leprosos: *viz.*
- 1 Unum Tactu manuali & Dicto potente, *Purgator.* *Mat. 8. 3. Mar. 1. 41.*
- 2 Decem; dicendo, *profecti oſtendite vos Sacerdoti:* qui ſic facientes inter eundum ſanati ſunt. *Luc. 17. 14.*

2 Paralyticos: *viz:*
- 1 Servum Centurionis *Capernaimi.* *Mat. 8. 5. &c. Luc. 7. 1. &c.*
- 2 Alterum Lecto decumbentem, dicendo, *Surge & ambula:* (in urbe ſuâ, i. e. *Capernaum.*) *Mat. 9. 6. &c. Mar. 2. 5. &c. Luc. 5. 24. &c.*

3 Febricitantem: *viz:* Socrum Petri tangendo ejus manum &c. *Mat. 8. 14, 15. Mar. 1. 31.*

4 Muli- *Luc. 4. 38.*

4 Mulierem αἱμορροΐσσην laborantem, postquam Mulier tetigisset fimbriam Pallij ejus; dicendo ipsi. *Confide, fides tua te servavit.* — *Mat.* 9. 22. *Mar.* 5. 34. *Luc.* 8. 44. *&c.*

5 Cæcos.
1 Duos (in Domo suâ *Capernaimi*) tangendo oculos & dicendo, *secundùm fidem vestram fiat vobis.* — *Mat.* 9. 29. 30.
2 Duos alios juxtà viam prope *Jerichuntem*, quum *Jesus* inde egrederetur versus *Hierosolymam.* — *Mat.* 20. 30. *&c.*
3 Unum (*Bethsaidæ*) inspuendo in oculos & imponendo manus in eum; qui posteà vidit homines instar arborum ambulantes. — *Mar.* 8. 22.
4 Unum alium à Nativitate cæcum (de quo quærebant Discipuli *an Ille vel Parentes peccâssent.*) spuendo humi & lutum ex sputo factum oculis cæci illinendo, & eum mittendo ad Piscinam Siloam. — *Jo.* 9. 6. 7.

6 Surdum difficultèr loquentem, indendo digitos in aures & tangendo linguam, & ingemiscens dicendo, *Ephatha.* — *Mar.* 7. 33, 34.

7 Hydropicum in domo cujusdam ex primoribus Pharisæorum. — *Luc.* 14. 4.

8 Manum aridam in Synagogâ, die Sabbathi. — *Mat.* 12. 13. *Mar.* 3. 5.

9 Male-affectos varios (*Genneſareth*) tactu fimbriæ pallij. — *Luc.* 6. 10.

10 Ægrotos varios juxta Mare *Galilææ* in Monte. — *Mat.* 14. 36. *Mar.* 6. 56.

11 Infirmum quendam, *qui* 38 annis decubuerat prope Piscinam *Bethesdæ.* dicendo ipsi: *tolle grabbatum & ambula.* — *Mat.* 15. 29. *&c.* *Jo.* 5. 8.

12 Muli-

12 Mulierem incurvam, dicendo, *Soluta es ab invaletudine.* *Luc.* 13.13.

13 Filium cujusdam Regii moribundum, cum absens esset corpore solâ verbi testificatione. *Vade, filius tuus vivit.* *Jo.* 4.48.

Hactenus *Miracula* Christi: sequuntur Ipsius Facta *Ordinaria.*

Facta hæc *Ordinaria* erant,

1 *Necessitatis*, ut Edere, Bibere, &c. sic Edebat) licèt cum Publicanis) in Domo Levi, &c. *Mat.* 9 10. *Mar.* 2. 15.

2 *Ordinis*, Sic *ordinavit* 12 Apostolos. *Mat.* 10.7. *&c.* *Mar.* 3.14. *&c.* *Luc.* 6.13. *&c.*

3 *Misericordiæ*, viz.
- 1 Sanationes aliquot Ægrotorum & male affectorum. *Mat.* 4 24. *&c.* *Mar.* 1.34. *&c.* *Luc.* 4.40. *&c.*
- 2 Commiseratio; quâ commotus est, cum Turbam viderit sicut Oves sine Pastore. *Mat.* 9.36. *Mar.* 6. 34.
- 3 Sui ipsius turbatio & lachrimatio, cum ad Sepulchrum Lazari Bethaniæ fletum Mariæ & Judeorum conspexerit (sic dolore affectus est humano sed absque ἀπαξία.) *Jo.* 11. 33.

4 Humilitatis. Sic lavit pedes Discipulorum, nos instituens exemplo suo, quid nos debemus ergo nos invicem. *Jo.* 13. 5. 14.

5 Obedientiæ. Sic Parentibus se subjecit. *Luc.* 2. 51.

6 Pietatis, sic.

1 Purgavit

1 Purgavit Templum bis ejiciendo vendentes &c. viz.	1 Circa Legationis suæ exordia.	*Jo.* 2.14. *&c.*
	2 Sub Tempus Mortis cùm è mundo migraturus esset ad Patrem.	*Mat.*21.12. *&c.* *Mar.*11.15. *&c.* *Luc.*19.45. *&c.*
2 Circumivit Vicos docens in Synagogis.		*Mar.* 6. 6. *Luc.* 4.14. *&c.* 8. 3. *&c.* 13.22. *&c.*
3 Doctores docuit & erudivit(audiendo & interrogando.)		*Luc.* 2. 46.
4 Secessit in montem ad precandum,ubi ter precatus est.		*Mat.* 14.23. *&c.* 26. 41. *&c.* *Mar.*6.47. *&c.*
5 Benedixit puerulis, acceptis ipsis in ulnas & impositis eis manibus.		*Mat.* 19.15. *&c.* *Mar.*10.16. *&c.*
6 Benedixit & Gratias egit cùm Panes & Pisces distribueret Turbæ.		*Mat.*14.19. *&c.* *Mar.*6.41. *&c.* *Luc.* 9. 16. *&c.* *Jo.* 6. 11. *&c.*

Hactenus Dicta & Facta (qualitercumque delineata) Domini nostri *Jesu Christi* cui cum *Patre* & *Spiritu Sancto* sit Gloria in Sæcula. Amen.

Si Christum bene scis,satis est si cætera nescis.
Si Christum nescis,nihil est si cætera discis.

Opus est doceri quæ sunt Elementa, &c.	*Heb.* 5. 12.
Paracletus docebit vos omnia, &c.	*Jo.* 14. 26.
Doce me Jehova viam tuam, & deduc me per semitam planam propter observatores, meos.	*Psal.* 27. 11.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 4. lin. 27. pro *jures* lege *juretis*. p. 8. l. 12. pro *vos* lege *in vos*. p. 27. l. 8. pro *Throno* lege *in Throno*. p. 36. l. 1. pro *Hierosolymitanos* lege *ad Hierosolymitanos*.

C 24160
39865
SL

PHOTOSTAT FACSIMILE

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION